Synodi Cremonensis I. ab Ill.mo ac Rev.mo eiusdem Vrbis Episcop. Alexandro Litta anno 1727 habitæ Delineatio.

SANCTIONES
EDITÆ, AC PROMULGATÆ
In Cremonenſi Diœceſanà Synodo

QUAM

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. D. D.

ALEXANDER LITTA

DEI, ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS CREMONENSIS, ET COMES,
AC PONTIFICII SOLII ASSISTENS,

In ſua Cathedrali Eccleſià habuit Anno Domini MDCCXXVII.
IV., III., ac Pridie Kalend. Maii

BENEDICTO XIII.
PONTIFICE

SANCTISSIME, AC FÆLICITER REGNANTE.

Additȧ Appendice Conſtitutionum Apoſtolicarum,
Decretorum Sac. Congregat., & Edictorum
Epiſcopalium.

Cremonæ, Typis Petri Ricchini, 1728.

ALEXANDER LITTA

Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratià Episcopus Cremonensis, & Comes &c. ac Pontificii Solii Assistens.

Universo Clero, & Populo Salutem in Domino.

OPtata nostra, favente Deo, tandèm impleta vidimus, dilectissimi Filii: Pastoralem hujùs amplæ Diœcesis Visitationem, quamvis cogitationibus plurimis distracti, curis innumeris agitati, Viribusq; jugitèr infirmi Nosmetipsi peregimus, absolvimusque, & demùm mense Aprili currentis anni septingentesimi vigesimi septimi suprà millesimum exeunte, religioso Clero nostro ferè universo in Ecclesià Cathedrali Nobis coràm congregato, & sistente, Diœcesanam Synodum, licèt iterùm atque iterùm, vel Sacri Nostri Ministerii circumspectione exigente, vel urgente necel-

necessitate prorogatam, celebravimus. Quas itaque maximas Altissimo gratias egimus, repetentes, collecta in unum typisquè mandata nùnc Vobis proponimus Decreta Nostra, in Comitiis habitis jam evulgata: Ea videbitis Carissimi non esse nova mandata, sed vetera, quæ jam habuistis, & audivistis, [a] fortasse, tractu temporis, obsoleta, seù potiùs peccantis naturæ vitio neglecta, ad exactam observantiam modò revocata; Eaque omnia videbitis in simplicitate sermonis, ostensione veritatis, atque virtutis non autèm in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis [b] relata, & concepta. Id unum coniicietis ex eis Pastoralis nostræ solicitudinis fuisse studium, optimam vobis in omnibus vivendi constituere rationem, & quæ Christianæ pietatis, Ecclesiasticæ Disciplinæ incremento, retinendæque Divini Cultus majestati obesse possunt, avvertere, ut ex hac Domini Vinea vepribus, & zizaniis radicitùs evulsis Vos omnes veri palmites in Christo Jesu, qui veram vitem se dixit semper manentes, efficiamimini, & fructum multum afferatis. [c] Utinàm ità fiat, quod quidem a Nobis sperandum est, si bonis operibus abundantes, præcepta quæ vobis, animi sensu certè paterno, & amantissimo, dedimus, ac salutaria monita cum omni

(a) *Joann. Epist.* 1. *Cap.* 2. *a.* (b) *Ad Corint. Cap.* 10.
(c) *Joann. Cap.* 15.

omni gaudio in Domino[d] amplectemini, eaque in tabulis cordis vestri describentes[e] quo maximo poteritis, & profectò debitis studio pietatis, ac obedientiæ spiritu servare curabitis, memores quod non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.[f] Ad id itaque enixè, & in Visceribus Domini Nostri Jesu Christi Vos omnes, & singulos hortamur, Vosque præcipuè, qui in sortem Domini vocati estis obtestamur, ut exemplo vestro reliquus Grex ad obedientiam invitetur, exciteturque, & ita Nos, qui pervigilamus rationem pro animabus vestris reddituri cum gaudio quoque hoc faciamus, non verò gementes, quod certè vobis non expedit[g] Nobis ideò imperare non possumus, quò minus exclamemus: Cavete ne quis vos seducat..[h] declinate ab illis, qui dissensiones, & offendicula, prætèr legem, quam accepistis, faciunt[i] hujus modi enim Christo Domino non serviunt;[k] Et ita agite ut de vobis dici possit Genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus aquisitionis[l] & dùm iterùm parati sumus ad vos venire, sicuti a nobis intellexistis, vos ipsos quæsituri non quæ vestra sunt, efficite ut vos inveniamus quales volumus, & Nos

in-

(d) *Ad Phylippens. Cap.* 2. *d.* (e) *Proverb. Cap.* 3. (f) *Ad Roman. Cap.* 2. *b.* 13. (g) *Ad Hebræos Cap.* 13. *c.* 17. (h) *Ad Thessalon. Cap.* 2. *Epist.* 2. *a.* (i) *Ad Roman. Cap.* 15. *g.* (k) *Ad Roman. Cap.* 16. *c.* (l) *Petr. Epist.* 1. *Cap.* 2.

inveniamur a vobis quales vultis.[m] Interim a D. O. M. vobis assiduè precantes Christianarum virtutum perfectionem, & salutem sempiternam, Vos quoque obsecramus per Dominum Nostrum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis Nos in orationibus vestris ad Deum[n] nè vigiliæ, curæ, & labores quibus ope Divina sustentati vestra causa exercemur, frustrà suscepti videantur, sed immò ex eis optatum fructum obtinuisse semper in Domino, gaudeamus. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro.[o]

Cremonæ ex Ædibus Episcopii nostri quinto Kalendas Septembris 1727.

IN-

(n) *Ad Roman. Cap. 15. g.* (o) *Ad Colossens. Cap. 1. a.*
(m) *Ad Corinth. Cap. 12.*

INDEX
Titulorum hujus Synodi.

De

Plures ex inadvertentià in hoc Volumine (leves tamen) transcursos errores invenies, quos candide Lector, sicuti faciliter cognoscere ità, & benigne corrigere poteris. Vale

In

In Nomine SS., & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

NOS ALEXANDER LITTA Dei, & S. Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Cremonenſis, & Comes, ac Pontificii Solii Aſſiſtens. Ad Omnipotentis Dei, Beatæque Mariæ ſemper Virginis, ac SS. Himerii, Homoboni, Marcellini, & Petri honorem, & gloriam; Ut in Clero, & Populo, Curæ noſtræ Paſtorali Concredito, Sacroſancta Fides, morum puritas, Eccleſiaſticæ obſervantia diſciplinæ conſerventur, Sanctæque leges, quibus Eccleſia Cremonenſis eſt munita, tractu tamen temporis obſoletæ, reſtituantur; demum, ut ope divinà ſuffulti Nos ea præſtemus, quibus ſacro noſtro muneri ſatis, aliquà ſaltem ex parte, faciamus; Primà in hac noſtrà Diœceſanà Synodo decernimus, ſtatuimus, & ſancimus, quæ ſequuntur.

De Fide.

ALtiſſimo grata minimè eſſe poſſunt opera humana, & quæ cultum divinum, præcipuè, dogmatum puritatem, Chriſtianamque reſpiciunt pietatem, niſi Fidei Catho-

licæ ſtabilimento firmiter innixa ſint; nam humanæ ſalutis initium, & radix, omniſque fundamentum juſtificationis eſt Fides; Ab hac igitur exordiendo noſtras Synodales Conſtitutiones, ut in univerſo Diœceſis noſtræ Grege cuſtodiatur integra, & inviolata, atque ab iis, qui in eà firmi, ſtabileſque ſunt, confeſſio fiat ad ſalutem; ſervanda decernimus ea omnia, quæ de illius profeſſione emittenda ex Pii Papæ IV. Conſtitutione, Tridentino Concilio, Decretiſque Provincialibus, & Synodalibus ſancita habentur; qui verò ſanctionibus ipſis minimè paruerint, ultra pęnas, quas Conſtitutio præfata proponit, ſe ſciant a muneribus reſpectivè obeundis fore interdictos.

Et ut omnis ignorantiæ, excuſationiſque prætextus excludatur; quos ad Profeſſionem emittendam, primà ſuà Diœceſanà Synodo Prædeceſſor noſter recolendæ memoriæ Cæſar Specianus teneri indixit, conſultò hic repetimus, recenſemus, & evulgamus.

Primò ſcilicet docentes artes liberales, & quamcumque aliam ſcientiam publicè, aut privatim.

Concionatores etiam Regulares.

Confeſſarios.

Advocatos, & Procuratores in causà Fidei ſuſcipiendos.

Me-

Medicos, Chirurgos.

Obtinentes Parochialem Ecclesiam; (inter quos Isimbarda Synodus compræhendi voluit etiam Vicarios ad tempus deputatos) Canonicatum possidentes, aut Dignitatem in Cathedrali, Bibiliopolas, & Impressoriam artem exercentes.

Qui Beneficium Parochiale, aut Canonicatum, vel Dignitatem in Cathedrali obtinentes Fidei Professionem suis tempore, & loco, quibusque coram opus fuerit, minimè præstiterint, fructus suos ex Tridentini Concilii Decreto non facere, & ad nullo pacto remittendam, restitutionem teneri sciant.

Confessariis, Concionatoribusque tam Sæcularibus, quam Regularibus literas patentes expediri, non præmissa in manibus nostris, vel Vicarii nostri Generalis Fidei Professione, secundo Synodi Septalæ Decreto inhærentes, nos quoque vetamus.

Eos omnes, & singulos, qui in hac Synodo præstiterunt, & imposterum præstabunt Professionem (exceptis tamen Concionatoribus, pro quibus Provinciam hujusmodi nostro a Secretis committimus, & demandamus) cura sit Cancellarii nostri per se, vel aliquem ex Notariis substitutis diligenter, & ordine alphabetico ad librum in Archivio Cancellariæ asservandum referre.

Literas & liberales artes, quovis nomine, vel publicè, vel privatim docendi munus ab aliquo exerceri intra Paretiæ suæ limites minimè Parochi patiantur, nisi prius, scripto Curiæ nostræ testimonio, de Professione emissâ, obtentâque licentiâ docuerit; Cæterum facultates hujusmodi, quę ad annum concedi solent, non antea confirmentur, quàm legitimè de vitæ, & morum honestate, integritateque, ac de munere rectè gesto constiterit.

Animarum Rectores sibi commissas oves sæpè moneant, ut, quantum fieri potest hisce temporum circumstantiis, cum dissidentibus a Fide Catholicà conversationem effugiant, & cum eis colloquia de rebus ad Fidem spectantibus omninò evitent; Id ipsum opportunè, Pœnitentibus suis Confessarii nedum suggerant, sed enixè injungant, ad eam semper longius, hæresum pestem arcendam, quæ violentius animos, quàm lues corpora, invadit; Et, si in hoc quempiam hac sive peste, sive etiam notà laborare adverterint, suspectumque habuerint Parochi, ad Nos, sive ad P. Inquisitorem sine cunctatione deferant.

Ut Judæis, qui in aliquibus hujus Diœcesis partibus tolerantur, corrumpendi Christianorum mores occasio quælibet adimatur, Conciliis Provin-

vincialibus inhærentes edicimus, ne Chriſtiani ſint in eorum famulatu, nec ad eorum convivia, nuptias, dies feſtos, vel ſiynagogas accedant; ne mulieres Chriſtianæ in eorum domibus pro nutricibus inſerviant, nec verò extra eorum domos, niſi cum neceſſitas a Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali probanda poſtularit; Cætera demùm omnia, quæ de vitandà Judæorum converſatione ſancita fuere, innovamus, ſub pœnis, & cenſuris aliàs comminatis, & pro modo culpæ arbitratu noſtro infligendis: Tranſgreſſores autem, ut detegantur, & innoteſcant, Vicariis Foraneis, & Parochis locorum, in quibus degunt Judæi, diſtrictè mandamus, ſedulò invigilare, Noſque, vel Vicarium noſtrum Generalem certiores reddere; ſecùs promeritam negligentiæ ſuæ pœnam arbitratu Noſtro ſubire cogantur.

Conſtitutionem Sanctæ Memoriæ Leonis Papę Decimi de librorum impreſſione olim editam, & quidquid hac de re auctoritate Sac. Concilii Tridentini, Indiciſque regulà ſancitum eſt, exequi cupientes, poſtremæque Diœceſanæ Synodo a fęlicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Ludovico Septala celebratæ inhærentes, vetamus quibuſcumque Librariis, ſeu librorum impreſſoribus, libros aliquos, vel cujuſvis generis ſcripta imprimere, aut typis mandare, niſi priùs etiam

a Nobis, vel ab aliquo ex Deputatis in hac nostra Synodo fuerint recognita, & approbata; Cum primum verò fuerint impressa, eorum exemplum Nobis quoque, seu ei, qui recognoverit, tradatur: Contrafacientes libris impressis, & pęnà excommunicationis plectantur.

De Predicatione Verbi Dei.

VErbi Dei predicatio præcipuum est munus animarum Rectoribus, Pastoralis Curæ in partem vocatis, injunctum non minus, quàm Episcopis. Quibus igitur a Parochis eloquia Sacra, & salutaria monita, rei divinæ post Evangelium intermissa fuerunt, ad usum omninò, Dominicis saltem, aliisque diebus Festis revocentur: Nec satis oneri suo facere credant, qui, sicuti accepimus, in Scholis Doctrinæ Christianæ munus id implere curant; Tridentini namque, & Provincialium Conciliorum, nec non Synodorum Decreta præstandum id esse mandant inter Missarum Solemnia.

Qui verò se minus idoneum vel ætate, aut morbo impeditum agnoverit, substituto Sacerdote, habili ne dum, ast etiam in Curià nostrà approbato, supplere non negligat, & donec substitutum habuerit, saltem aliquid interim è libro

ver-

vernacula lingua conſcripto diſtinctè, & ſedatè, tempore Miſsæ Parochialis. Populo ſuo recitare ſatagat, cujus ſpirituali ſaluti, & inſtructioni magis magiſque proderit, ſi quod recitabit, libro poſteà dimiſſo, brevitate, & facilitate ſermonis explanabit, ſicque docendi neceſſaria ad ſalutem munus exercens, fidelem miniſtrum, & diſpenſatorem ſe eſſe probet.

Singuli itaque curam animarum habentes, ne officio ſuo deſint, ut de ipſis comprobetur, quod Incarnata Sapientia Apoſtolis, & per Apoſtolos, omnibus animarum Paſtoribus dixit *Vos eſtis Sal Terræ*, Sal etenim Terræ, ait Divus Gregorius Papa, non ſumus, ſi corda audientium non condimus; quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui Predicationis verbum non ſubtrahit; ſi qui verò in hac re deſides, ac negligentes fuerint, pecuniaria pęna, aliiſque gravioribus puniantur.

Quicumque ex offitio, vel conceſſione noſtra, concionandi munus habent, vel obtinuerint, ſana, & fructuoſa piè, prudenterque exponant, & a fabulis, ineptiiſque omninò caveant, methodumque ab inſtructionibus hac de re, juſſu Divi Archiepiſcopi Mediolanenſis Caroli Borromei olim editis, ſumere ſtudeant.

Ne revocari poſſet in dubium, cujus expenſis

munus ſuum Quadrageſimæ tempore, Concionatores obire deberent, ſecundà Synodo Specianà declaratum fuit, mercedem, vel æleemoſynam ab eis eſſe præſtandam, qui præteritis annis onus hoc ſuſtinere conſueverant, cominatà pœnà interdicti contra Populum, & Univerſitatem, qui victum, & eleemoſynam conſuetam præſtare recuſent: Ad tollendas itaque contentiones in aliquibus Diœceſis hujus noſtræ partibus exortas, decretum præfatum innovamus, cenſuriſque, & pœnis arbitratu noſtro infligendis, contumaces ad obedientiam compelli mandamus.

Ne in Diœceſi Concionator quilibet, etſi patentibus literis noſtris munitus, ſuum munus obire præſumat in Eccleſià ſibimet aſſignatà, nec a Paroco Eccleſiæ ad Concionandum admittatur, niſi prius Vicario Foraneo illius regionis coram fuerit, eidemque patentes literas exhibuerit.

De Doctrina Chriſtiana.

IN edocendo, diſcendoque Doctrinam Chriſtianam, & ut una, eademque methodus ab omnibus haberetur, adque tollendas exortas è quampluribus, diverſiſque liberculis varietates Clemens, Octavus Pontifex Maximus Ordinariis locorum, eorumque Vicariis,

riis, & Parochis injunxit, ut ſuis in Eccleſiis, Dioeceſibus, & Parochiis, libellum ab Eminentiſs. Cardinali Ruberto Bellarmino Societatis Jeſu Presbytero editum, & a Sacra Reformationis Congregatione approbatum adhiberent, adhiberique curarent; Edicto propterea diei 4. Decembris 1602. memoratus Prædeceſſor noſter Cæſar Specianus in hac universà Dioeceſi ita ſervari juſſit, & hoc ipſum Septala Synodus ſexto decreto innovavit, nobiſque nuperrimè curandum præcepit Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium literis ſuis encyclicis diei 18. Februarii 1724. Univerſos itaque, & ſingulos hujus Urbis, & Dioeceſis Parocos, cæteroſque animarum Rectores, ac omnes, ad quos ſpectat, commonitos hac de re facimus, & Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti Papæ XIII. fæliciter Regnantis piæ menti etiam inhærentes, obſecramus in Domino, ut, quibuſcumque aliis diverſis liberculis in partem poſitis, memorati Eminentiſſimi Cardinalis libello Pontificia aucthoritate munito, ſatis nunquam commendato, utantur, ſicque in re tanti momenti una, eademque ab omnibus regula ſervetur: Doctrinæ Chriſtianæ Viſitatores in hoc ipſum toto ſtudio, totiſque ſiſtere viribus non prætermittant.

Parocos nedum, ſed quorumvis Eccleſiaſtico-

rum diligentiam singularem, & assistentiam, in edocendo Doctrinam Christianam, exquirimus; quicumque verò Sacerdotes, & Clerici inferiores Parocum suum, intra cujus Paretiæ fines habitant, verbo, & opere adjuvare neglexerint, pecuniarià pœnà primæ Synodi Specianæ decreto cominatà, aliisque majoribus arbitratu nostro infligendis, mulctentur, & si nihilò fuerint minus contumaces, ad pœnam suspensionis etiam a divinis, quoad Sacerdotes, procedi, Clericos verò ab ulteriori Ordinum susceptione mandamus arceri. Præfecti in Urbe, & Vicarii Foranei in Diœcesi super hoc invigilent, & mense quolibet a singulis sive Sacerdotibus, sive Clericis attestationem operis Scholis in eisdem præstiti exigant, & si quos inobedientes compererint, Nobis, seù Vicario nostro Generali referant.

Primariò tamen, & exactissimè partes suas implere satagant Parochi, ad quos spectat id munus ex Officio, & Pastoralium nostrarum diei 27. Martii 1722. memores sint, comminatis enim, gravioribusque pœnis, pro culpæ ratione, plectentur, si desides & ipsi, negligentesque comperti fuerint.

Villarum, ædiumque rusticarum a Parochiali distantium Incolis, qui, pluvioso, hybernoque tempore, Doctrinæ Christianæ Scholis raró, aut diffi-

difficilimè, in Parochiali ſuà intereſſe poſſunt, conſulere percupientes, Vicariis Foraneis injungimus, ut unà cum Parochis eam ineant rationem, quà Eccleſiaſticos, vel idoneos alios, probatoſque viros deligant, qui feſtis diebus illuc ſe conferant, & in Oratoriis, vel alio opportuniori loco, magiſque accomodato, Incolas præfatos Chriſtianæ Fidei rudimentis inſtruere curent, ne pabuli ſpiritalis, adeò neceſſarii ad ſalutem æternam, uſus & ipſis unquam deſit.

Populum ſæpe ſępius moneant Parochi de Indulgentiis, quas Doctrinæ Chriſtianæ operam impendentibus conceſſerunt Summi Pontifices, ut pium hoc exercitium ferventiori zelo, & Operariorum multiplicitate aſſumatur.

Orationem Dominicam, quæ precationis neceſſariæ numeros omnes continet; Salutationem Angelicam ad Sanctiſſimam Virginem Fidelis Populi Advocatam; & Symbolum Apoſtolorum, nedum latinè, at etiam vulgari idiomate doceant Parochi, aliique Doctrinæ Chriſtianæ Operarii, ut Auditores faciliùs, ac fructuoſiùs verborum ſenſum percipiant, animòque, & memorià compræhendant, retineantque.

De Sacris Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

QUÆ, de Sacrarum Reliquiarum pià Veneratione, easque recondendi, exponendi, asservandique ratione, pluries Conciliorum Provincialium decretis, Synodalibusque Constitutionibus sancita fuere, Parochi, & quicumque alii Ecclesiarum Rectores, sivè Custodes diligenter studeant observare, & exequi; ab ipsis enim rationem de singulis exigemus, ne quid unquam inconveniens, debitoque a cultu præstando, vel habendæ custodiæ legibus alienum contingat.

In Ecclesiis, non autem extrà, nec in camerà Sacristiæ, sed in fenestellis, armariisque in interiori pariete Ecclesiarum extructis, serico congrui coloris, & decenter introvestitis ad præscriptum Conciliorum Provincialium, & Instructionum superindè editarum, seràque, & clavi munitis asserventur, & custodiantur capsulæ, thecæ, seu vascula, in quibus Sac. Reliquiæ reconditæ sunt, quæ Populo non ostendantur, nisi priùs accensis luminibus, statisque precibus, per Parocum, seù Sacerdotem alium substituendum, superpelliceo, & stola, vel pluviali indutum, devotè recitatis, ac adhibità thurificatione.

Sub

Sub Laicorum custodià Sacras existere Reliquias, & pœnes ipsos claves asservari vetitum est, siquidem Episcopo, & Ecclesiæ Rectori Concilia Provincialia curam hujusmodi committunt, & mandant: Ubi tamen Consuetudinis est ab Universitatis, Sodalitatisve Hominibus, aut Syndicis Laicis clavem etiam tenere, Conciliis præfatis inhærentes, tolerandum arbitratu nostro esse duximus, ita tamen, ut semper altera ex clavibus operis diversi apud Parocum asservetur, ipsasque Sac. Reliquias a Laicis nec tractari, nec unquàm tangi permittatur.

Ex Sacris Imaginibus magnus spiritualis fructus percipitur, ex illis enim, sicuti docet Tridentina Synodus, in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis eruditur Populus, & confirmatur, admoneturque beneficiorum & munerum, quæ a Christo collata sunt, atque Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis subiiciuntur, ut ad Sanctorum imitationem vita, & mores componantur, animusque excitetur ad diligendum Deum, pietatemque colendam: Parocorum itaque cura sit Populo suo enucleatè exponere quæcunque edocenda sunt de Sanctorum intercessione, atque cultu, de Sacrarum Reliquiarum, Imaginumque veneratione, & de Sacris Mysteriorum nostræ Redemptionis hystoriis,

pictu-

picturà, aliàve ſimilitudine expreſſis, accuratè inſtruere.

Si quæ Sacræ Imagines fabrili, ſeù fictili opere confectæ, aut picturà expreſſæ, nimià vetuſtate, aliovè defectu fucatæ, conſumptæ, & indecenti aſpectu ſunt, ſtatim ab iis, quorum intereſt, piè, religioſèque renoventur, expolianturque, quod ſi fieri nequit, ammoveantur omninò, reſpectivèque deleantur, ne inſpicientibus offenſionem præbeant; quoverò ad formam & habitum Sacrarum Imaginum, ea omnia ſervari volumus, & mandamus quæ Conſtitutione S. M. Urbani Octavi edita anno 1642., & relata in Synodo Iſimbarda Cremonenſi fol. 137. præſcripta fuerunt.

De Feſtis Diebus.

NON ſinè magno animi noſtri mœrore, Feſtos dies, quorum obſervantiam tot emanata Decreta Apoſtolica, Provincialia, & Diœceſana legi Divinæ innixa, diſtrictè mandarunt, crebrò, variiſque modis, violari, & contra illorum cultum, quamplures, in hac Civitate, & Diœceſi, abuſus irrepſiſſe intelleximus: Pœnas itaque adversùs hujuſmodi violatores, ſivè in Apoſtolicis, & Provincialibus Conſtitu-

ſtitutionibus, ſive in Synodalibus, noſtrorumque Prædeceſſorum Edictis comminatas innovamus, tranſgreſſores irremiſſibiliter punituri, ut ſint cæteris in exemplum, & adeò ſcandaloſa libertas tandem coerceatur; qua de re Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi, & univerſis, & ſingulis Parochis injungimus, & præcipimus, ut omni ſtudio, & conatu, quæ vetita ſunt tollere, ac impedire, quæ verò ſervanda, impleri curent ne dum, ſed immò, quos contumaces, fortioribus juris remediis compeſcendos, atque plectendos eſſe, cognoverint ad Nos, ſeù Vicarium noſtrum Generalem ex templò deferant.

Primæ Synodi Specianæ decretum, ne quis poſt ultimum campanæ ſignum, quo Fideles ad Eccleſiam, & Divina Officia convocari ſolent, uſque ad expletum Completorium, venditioni, rerum quotidiano etiam uſui neceſſariarum, vacet, pariter innovamus; quæ verò uſui præfato, vel ad ægrotorum curationem, neceſſaria minimè ſunt, quomodolibet vendere, officinaſque omninò, aut aliqua ex parte apertas tenere, minuſvè ſuper menſis palàm, & publicè exponere, inhærendo decretis toties emanatis firmiter inhibemus, atque vetamus, & contrafacientes, ultrà pœnas jam propoſitas, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictos declarari mandamus.

Nos

Nos quidem non latet, pluribus ex causis, ubicumque necessitas urgeat, vel pietas suadeat, a Superiore dispensationem concedi posse; An verò concedenda, denegandavè sit, ad Nos, vel Vicarium nostrum Generalem in hac Civitate, & Diœcesi, cognitionem spectare notum facimus, & esse volumus; Et ne juxtà casuum contingentias, faciliori, opportunioríque recursu, & remedio careant habitantes in Diœcesi, Vicariis Foraneis cuilibet pro locis sui Vicariatus, & præsertim ubi degunt, alibi verò, etiam Parochis vices nostras committimus, advertendo tamen, ut anteà, de causę veritate, & urgentia legitima, diligenter inquirant, nullàque pactà mercede, directè, nec indirectè, sed gratis omninò similes concedant scripto dispensationes, oneratà super his eorum conscientià.

Sexti Concilii Provincialis decreto mandatum fuit Episcopis curare, ut de more aliorum dierum Festorum, qui ex præcepto colebantur, dies quoque S. Barnabæ Apostoli, qualibet in hujus Mediolanensis Provinciæ Diœcesi coleretur, & sanctificaretur; Hinc, sæpe memoratus, Prædecessor noster Cæsar Specianus, in suà primà citatà Synodo, Parochis injunxit, ut ad celebrandum Festum prȩfatum studiosè Populum inducerent: Ita igitur in haç Civitate, & Diœcesi,

(quȩ,

(quæ, ſicuti traditum habemus, predicatione ejuſdem S. Apoſtoli, Myſteriis Catholicæ Fidei fuit imbuta) piè, religioſèque obſervatum fuiſſe intelleximus, etiàm poſt emanatam S. Mem. Urbani Octavi Conſtitutionem dies Feſtos de præcepto colendos prȩſcribentem, & ita quoque toto tempore, quo huic Eccleſiæ, licèt immeriti, præſidemus, obſervari vidimus: Cum autem nonnullos timoratæ conſcientiæ Viros Pontificia Conſtitutio præfata, ancipiti diſtractos cogitatione reddiderit, conſulti fuimus pro opportunà declaratione, ad abiiciendos omnes ſcrupulos, quibus hæſitabamus, an Feſtum ipſum tamquam de præcepto eſſet colendum: Nos itaque re maturè perpensà, omnibuſque ponderatis circumſtantiis, ac non ſemel auditis quampluribus Eccleſiaſticis Perſonis pietate, & doctrinà exornatis, habitiſque etiam priùs Capituli noſtræ Cathedralis ſenſibus, diem Feſtum præfatum S. Barnabæ Apoſtoli, in hac Civitate, & Diœceſi, eodem, quo hinc retrò, & a ſæculo citra, celebrandum eſſe cultu etiam in futurum, & ſigno crucis duplicis, quo cætera Feſta de præcepto ſolent diſtingui, in noſtro Kalendario, & liberculis imprimendis *Giornali* nuncupatis, indicari mandamus, donec aliter a Sac. Rit. Congregatione, quamprimum per Nos conſulendà, fuerit declaratum.

De Ecclesiis.

DEcet Domum Domini Sanctitudo. Decet, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debità veneratione pacificus; sit itaque ad Ecclesias accessus, & ingressus humilis, & devotus; sit in eis quieta conversatio, Deo grata, & inspicientibus placita; Cessent ibi Sæculares omnes actiones, vana, multòque magis fęda, & profana colloquia, strepitus, clamores, & alia, quæ Divinum Officium turbare possunt, aut oculos Divinæ Majestatis offendere, ut Domus Dei, verè Domus Orationis dici valeat, & ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur ocasio, aut depræhendantur peccata committi; Et quia, ad compescendam inverecundiam quamlibet, ac irreverentiam, satis in hac re consultum esse credimus, nostro jam emanato Edicto diei 26. Martii 1719. in hac Urbe, universàque Diœcesi promulgato, nil amplius addendum censemus: Pastoralis quidem Offitii nostri partes erunt ad censuras, & pœnas in Edicto præfato, aliisque Prædecessorum nostrorum cominatas procedere, ne excessus, abusus, & contemptus ultrò serpant, & qui jam irrepserunt, coerceantur, evellanturque.

Ut jurgiis, strepitibus, & rixis occurramus, quæ, causa

causà ſedilium, in Eccleſiis non raròcontingunt, nemini liceat, ſub quovis prætextu, aut titulo, ſinè noſtro, vel Vicarii noſtri Generalis permiſſu ſcriptis exarato, ſedile cujuslibet generis aliquà in Eccleſià collocare, vel apponi facere; qui verò de facto contravenire auſus fuerit, interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ puniatur, ſtatimque ſedile extra deferatur.

Si qui Rectores Eccleſiarum facultatem aliquam in præmiſſis, abſque aſſenſu noſtro, concedere præſumpſerint, minimè ſuffragari volumus, & pęnam aureorum decem locis, & uſibus piis, arbitrio noſtro applicandorum, ipſo facto incurrendam ſubeant.

Nemini quoque liceat comodum ſedilis, quod ab Eccleſià conceſſum fuit, vel concedetur impoſterum, extra propriam Familiam alicui cedere ſine noſtro permiſſu; Familià verò extinctà, vel deficiente jus hujuſmodi liberum Eccleſiæ remaneat.

Non parum dedecoris aliquibus in Eccleſiis obſervavimus inferri ex ſedilibus, ob eorum ſtructuræ diverſitatem, & deformitatem, vel præ numeroſitate, aut magnitudine, qua ſpatium intermedium, ad obeundas Eccleſiaſticas functiones neceſſarium, occupatur; propter eà decernimus, ut ſingulis in Eccleſiis omnia ſedilia, ſeù bradellæ reformentur, renoventurque, in modum, ut

 unam,

unam, eandemque ſtructuram, amplitudinem, & longitudinem habeant, liberum tranſitum, functiones Eccleſiæ, acceſſumque ad Altaria, Confeſſionalia, & Fontem Baptiſmalem non impediant, nec Altaribus, aut Confeſſionalibus adhæreant. Ut hoc decretum noſtrum, quam citiùs fieri poteſt, executioni mandetur, curę ſit Rectoribus Eccleſiarum.

De Jejunio

Quadrageſimæ, Quattuor Temporum, & Vigiliarum.

EX triplici remedio, quo divinitùs factum eſt, ut hominum ſaluti ſubveniri poſſit, Jejunium habemus, quà de re Tridentina Sacra Synodus Paſtores omnes hortatur, obteſtaturque, ut quæ de ciborum delectu, & jejuniis ſtatuta ſunt, ſedulò commendare non negligant; Nos itaque mandatis ejuſdem Concilii obſequentes, Populo nobis commiſſo, hiſce noſtris Synodalibus Conſtitutionibus jejunium, quod mentem purgat, ſenſus ſublevat, carnem ſpiritui ſubdit, concupiſcentiæ nebulas diſſipat, libidinis ardores extinguit, & charitatis lumen accendit, proponere, & commendare nedum intendimus, ſed Parochis omnibus, & ſingulis injun-

injungimus, itidemque Concionatoribus commendamus, ut ad Jejunium, prout Vigiliæ, Quadragesima, aliave Sacra tempora incidunt, sæpe sæpius Sermonem, & Concionem transferant, ac jejunii necessitatem, salutaresque fructus uberrimè exponant; Explicent item, qui teneantur, & qui excusentur, ne aut ignorantia, delinquendi ansam, aut erronea conscientia peccandi occasionem præbeant: detestentur quoque ingluviem illorum, qui sub initium quadragesimalis Jejunii, more Romano, ad Ambrosianæ Diœcesis loca, carnes, cæterosque ejusmodi cibos ad usque primam Quadragesimæ Dominicam esuri commigrarint: Vigilias, & Sacra tempora, quibus jejunare jussum est, saltem præcedenti Dominico die Populo suo denuntient, quidue tempore jejunii sit præstandum, & a quibus abstinendum, enucleatè doceant, & fortiùs instent, hortenturque, ut dum caro ab alimentis abstinet, mens pariter a culpà jejunet, & omnes pro viribus in oratione, eleemosynis, aliisque charitatis, & devotionis offitiis, occupentur.

Cauti sint Medici, in concedendis licentiis comedendi carnes, aliosque cibos vetitos tempore Quadragesimæ, ne ex conniventià, vel nimià indulgentià aliorum peccatis suam onerent con-

 scien-

ſcientiam, & ubi cauſa infirmitatis, aut malæ valetudinis verè ab ipſis præcognita non intercedat, ultrò ſe non extendant, ſed petentes ad Eccleſiam remittant, moneantque infirmos ipſos, & convaleſcentes; ut ſolo Medici permiſſu contenti non ſint; ſed ab Eccleſia confirmationem, licentiamque habere curent.

Ut ſacrum, & tam religioſum Quadrageſimæ tempus, majoris obſervantiæ ſtudio, abſtinentià, jejuniis, eleemoſynis, orationibus, omnique ſalutaris pœnitentiæ diſciplinà, colatur, innovamus Edictum Prædeceſſoris noſtri Cæſaris Speciani in ejus primà Diœceſanà Synodo fol. 210. relatum, quod in appendice pariter hic referri mandamus, ut omnibus innoteſcat: Et a Parochis, annis ſingulis inter Miſſarum Solemnia, recurrente Dominicà Quinquageſimæ, Populo ſuo evulgatur, ſicuti in Kalendario expreſsè monentur, ſecùs pœnà Nobis arbitrarià puniantur.

De Baptiſmo.

SI quis Infans, periculo mortis inſtante, domi fuerit baptizatus, ea ſemper ſit lex Concilio Provinciali primo innixa, ut ſi ſupervixerit, intrà nonum ab ortu diem,

vel

vel cum primùm per valetudinem licuerit, ad Ecclesiam deferatur, ubi si rectam baptismi formam servatam esse constiterit, ritus tantùm, ac ceremoniæ præscriptæ suppleantur: Qui verò, mortis periculo minimè urgente, domesticos intrà parietes baptizare præsumpserint, vel ii, quorum est cura, ante nonam nativitatis diem, infantem ad Ecclesiam pro Baptismo deferre neglexerint, pœnam excommunicationis in Concilio præfato propositam subeant, quam, & Nos, Specianæ, & Isimbardæ Synodo inhærentes, innovamus, ne adeò detestabilis incuria, aut inanis ambitio impunis evadat.

Doceant Parochi Populum suum propriam hujus Sacramenti formam, & ad pleniorem omnium intelligentiam, verba formæ ipsius vernaculà linguà explanent. Doceant quoque, aquam naturalem, & symplicem nudà formà eodem tempore prolatà, in Baptismo privato esse adhibendam, prætermissis cæteris ritibus, & ceremoniis in Ecclesià tantùm habendis.

Laudanda, & retinenda semper est inveterata ea Consuetudo, qua Infantes intra alicujus urbanæ Parochialis Ecclesiæ fines, a Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in Albis, & item a Sabbato Vigiliæ Pentecostes usque ad Sabbatum subsequens nati, ad hanc nostram Ecclesiam Ca-

thedralem baptizandi deferuntur, ea tamen lege ut Baptizatorum ejuſmodi nomina, & cætera id generis prę̨ſcripta in librum ipſius Cathedralis, ac etiam propriæ Parochialis Eccleſiæ referantur. Schedulam itaque Baptizatorum hujuſmodi, quotieſcumque Curati Cathedralis, a Parochis, ſeu Infantium Parentibus, quos in hoc ſollicitos eſſe volumus, fuerint requiſiti, tradere ne recuſent, differantve ſub pœnà arbitratu noſtro infligendà.

In miniſtrando Baptiſmate, eoque expleto, habeant Parochi juxta perſonarum qualitatem & captum, brevem, ſed aptum ſermonem, quo præ cæteris conſiderationem Chriſtianam proponant, & quæ fit in hoc Sacramento ſuſcipiendo ſponſionem explicent, ut hac recordatione ſinguli adſtantes excitati videant, atque exequantur, quæ ſolemniter ſpoponderunt. Moneantur etiam Compatres de eorum offitii partibus, quas pro ſuſceptionis, & fidejuſſionis munere præſtare tenentur. Explicetur item Cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur, & inter quos contrahatur, ut mutuis charitatis offitiis ſincerè, & caſtè in primis colatur. Moneantur quoque de Cenſuris, quas ipſo facto incurrunt, qui non adhibità prę̨ſcriptà cautione infantem unà ſecum in lecto tenuerint anno nundum expleto: Et ut aliqua certa

ratio

ratio habeatur de cautione adhibendà, decernimus, ut cunabulum quodcumque a puerperis, & nutricibus adhiberi ſolitum, a proprio lecto diviſum, disjunctumque ſit; Si verò conjunctum fuerit, vel proximè adhæſerit, eàque altitudine poſitum, ut cum lecto unum equale faciat, tabula ſectilis ſupereminens interponatur, & fixa, qua lectum a cunabulo dividatur, ſicque Infantium ſuffocationibus (quas adeò frequentes non ſine animi noſtri cruciatu intelleximus) cautiori circumſpectione occurratur.

De Sacramento Confirmationis.

QUamvis Concilio Provinciali primo ſancitum fuerit, ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui ſeptem annos nati non eſſent, Concilii tamen quinti decreto cautum fuit, parvulis etiam, & infantibus, qui non modo eam ætatem expleverint, ſed ne quidem attigerint, miniſtrari poſſe; ſi ex juſta, & neceſſaria cauſa ita Epiſcopo videbitur; Ne quis itaque parvulus impoſterum periculosè egrotans ſine hoc Sacramento decedat, Parochi, & Parentes commonitos Nos reddant Sacramentum ipſum miniſtraturos, ſi eo tamen loci fuerimus,

ubi

ubi ille egrotaverit.

Præſcriptam Rituali Romano formulam deſcribendi Confirmatos Parochi diligenter obſervent, exprimendo præ cæteris nomen, & cognomen Patris, atque Matris Confirmati, quod idem prima Synodus Speciana indixit, ut certò & perpetuò notitia habeatur de iis omnibus, inter quos contrahitur Cognatio ſpiritualis. Qui verò in hoc defecerint, ſicuti plures in agenda Viſitatione Diœceſis deficientes comperimus, arbitrariis pęnis punientur.

Ut Sacramenti hujuſmodi reverentiæ ſit opportunè conſultum, dignitatem ejuſdem, & fructus uberrimos, quos Parochi, ex Cathechiſmi Romani fonte largiſſimè poſſunt haurire, Populo ſuo exponere, & declarare non ommittant, eo præſertim tempore inſtante quo a Nobis eſt conferendum, diligenterque moneant, & inſtruant de ſpirituali, & eàdem Cognatione, quam (ſicuti in Baptiſmate,) Patrini, & Matrinæ contrahunt.

Nemo ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum accedat, deducaturve, niſi ſchedulam habeat a proprio Paroco ſubſcriptam, quà teſtimonium fiat de inſtructione Confirmandi, hujuſqne nomen, & cognomen, ac itidem Patris & Matris, nec non Patrini, ſeu Matrinæ indicetur, ut ſuſcepto Sacramento, ex eàdem ſchedulà certa pro Paroco

roco habeatur notitia de iis, quæ in librum Parochialem ſunt neceſſariò referenda. Cætera demùm, quæ hac de re Edicto noſtro diei 10. Septembris 1718. in appendice relato decrevimus, omninò ſervari volumus.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

NE quidquam temerarium, aut ſacrilegum liceat alicui attentare, & ineffabili Sacramento, quod Eccleſiæ, & Chriſtiano Populo datum eſt ad ſalutem, maleficorum manus, Diabolo ſuadente, ad perniciem abutatur, Tabernaculi claves a Parochis, aliiſque Eccleſiarum Rectoribus, pœnes ſe, vel in loco tuto, & benè clauſo, perquàm cautè diligenterque cuſtodiantur; Et ſi qui in hoc negligentes comperti fuerint, pœnis in executionem literarum Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, de mandato Sanctitatis Suæ emanatarum, noſtro publico in Edicto diei 20. Januarii 1725. cominatis, quæ ad Regulares etiam extenduntur, rigoroſè plectantur.

Ante Altare, ubi aſſervatur Sanctiſſimum, pendeat Lampas, quæ ex oleo olivæ jugiter ardeat,

ſumpti-

ſumptibus eorum, ad quos ſpectat, ſub pœnis aliàs in Synodo Camporea cominatis, & gravioribus etiam arbitrio noſtro infligendis.

Quàlibet in Eccleſià Parochiali binæ ſaltèm Pixides ad formam confectæ habeantur, & in Tabernaculo aſſerventur, altera nempè, quæ major ſit, & amplior, ad Sacræ Communionis in Eccleſia miniſtrandæ uſum, alia minor, ad ægrotos cum Sacramento deferenda. Præfecti in Urbe, ac Viſitatores, nec non Vicarii Foranei in Diœceſi tempore, & actu Viſitationis, de hoc memores ſint, diligenterque inquirant, & ubi defectum compererint, opportunis remediis id fieri mandent.

Ex ſerico albi coloris ab omni parte intus veſtita ſint, & ornata Tabernacula, ſicuti Viſitationem agentes, ita fieri mandavimus, ubi diverſo colore ea introveſtita recognovimus; Si qui verò nihilominus id agere neglexerint, pro modo culpæ puniantur, ut quæ, more Romano, in Conciliis Provincialibus de Tabernaculis extruendis, ornandiſque fuit ratio præſcripta, una, & eadem in omnibus Eccleſiæ hujus Diœceſis habeatur. In illis ne unquam deſit corporale, ſtratum mundum, & interiori plano adaptatum quod ſæpe, ac ſaltem quolibet ſemeſtri mutetur: Ne ibidem quid aliud præter Sanctiſſimum aſſervetur,

tur, nec Sacra Pixis, illud continens, conopeolo albo, & decenti nudata ſit, ſub pœnà aureorum decem, quam Synodus Camporea propoſuit.

Nihil habet Eccleſia SS. Sacramento Euchariſtiæ dignius, nihil admirabilius, nihil ſalubrius, nihil ſanctius: Maxima itaque ſit Parocorum ſollicitudo, planè, accuratè, & frequenter, in explicando ſuis Ovibus fidem, doctrinam, excellentiamque hujus Sacramenti; quo item modo, quà præparatione ſit ſumendum, & quàm admirabiles ſint illius fructus: Hæc omnia præcipuè docere, & explicare non negligent, quo tempore Sacra Communio frequenti Populo ſit præſtanda.

Capellæ, & ſepta, quæ balauſtria vocantur, ſeù genuflexoria lignea oblunga, quibus Capellæ, balauſtriis carentes, ſepiuntur, eodem tempore, quo Sacra miniſtratur Communio, mappis lineis a ſorde puris, & candidis, recto ordine ſternantur, & cætera alia ſerventur, quæ ad tanti Sacramenti venerationem Provincialia Conc. præſcripſerunt.

De Expoſitione habenda, & ritu Benedictionem impertiendi, Paſtoralibus literis noſtris, præterito menſe Junio promulgatis, ea indiximus, quæ ad inſtructionem univerſæ Diœceſis, & ad quàmplures, qui irrepſerant abuſus evellendos, neceſſariò præſcribenda credidimus: Religiosè itaque, & accuratè Parochi, aliique Eccleſiarum

rum Rectores, & quorum id munus erit, ea omnia implere, & exequi ſtudeant; & inſuper caveant, ne, quo tempore, publicè adorandum expoſitum eſt Sanctiſſimum, aſſiſtentia deſit adorantium; indigniſſimum hoc enim eſſet, ut, cui millia millium miniſtrant, & decies millies centena millia aſſiſtunt, abſque copià adoratorum in Eccleſiis chriſtifidelium relinqueretur: quà de re Parochis noſtris in Urbe, peculiares literas proximè evoluto menſe Martio exaravimus, ut quiſque in Paretià ſuà pias, devotas, vitæque ſpiritualis amantes perſonas hortari, & ſeligere curet, quæ, tunc maximè, cum vel prandii, vel quieſcendi gratià, chriſtifidelium præſentia ceſſat in Eccleſià, alternatim ad orandum coram Sanctiſſimo, Orationis quadraginta horarum tempore durante, ſiſtant, ſicque ſummus debitus honor in eo aſſervando, exponendoque, ſumma diligentia in diſtribuendo, ſumma puritas in recipiendò, ſemper habeatur.

Ad Orationis quadraginta horarum uſum ſanctè retinendum, & eà, quà par eſt pietate, ac devotione colendum, Præfectos Eccleſiaſticos jam conſtituimus, quorum religioſo zelo vigilantiam, & ſollicitudinem enixè commendamus, ne quid unquàm, inconveniens, aut indecorum accidat, ſed immò magis, magiſque, ac jugiter

ter divinus cultus augeatur.

Quo tempore publica Sanctiſſimi habebitur expoſitio, ac impertienda fuerit Benedictio in Eccleſià Parochiali, ne id unquam fiat habeaturque in Oratoriis quibuſcumque limites intra ejuſdem Paretiæ ſitis, non obſtante licentià qualibet a Nobis, vel Vicario noſtro Generali conceſſa, vel concedendà; quàm quoad tempus præfatum, niſi ſpeciatim id fuerit expræſſum, & indultum, ſuffragari nolumus. Ad hoc diligenter Parochi advertant, & quos præmonere opus fuerit, certiores tempeſtivè faciant.

Nulli ex Confraternitatibus, ſub cujuſvis etiam Aggregationis titulo, liceat in Oratoriis ſuis, ſive Eccleſiis, ſinè noſtro ſpeciali permiſſu, expoſitionem Sanctiſſimi habere, etiàm ſi Parocus proprius aſſenſum præberet, ſicuti, rejectis quibuſcumque deductis, & in contrarium oppoſitis, poſtremò, nobis inſtantibus, declaravit Sacra Congregatio Concilii contra Sodalitatem Mortis Caſalis Majoris Archiconfraternitati Almæ Urbis aggregatam, cujus declarationis exemplum, ne memoria pereat, in appendice hujus Synodi referri volumus.

De

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUantæ ſit neceſſitatis Sacramentum Pœnitentiæ, ignorare nemo poteſt; deſperandum eſt enim, ſinè dubio, de eorum ſalute, qui, poſt ammiſſam Baptiſmi innocentiam, ad hanc Tabulam non confugiunt: Summa itaque a Parochis diligentia adhibeatur, quà Fideles ſibi commiſſos ad hoc Sacramentum frequenter invitent, & excitent, ſeque nunquàm in hoc futuros adeò ſolertes eſſe ſciant, ut ſatis videri poſſit; Cauti ſint etiam, & prudentes in hujus Sacramenti miniſtratione, proſpiciantque, ut non ſolùm a vitiis, peccatiſque Fideles abſtineant, ſed virtutes quoque, Chriſtianæ vitæ offitia, opera, & actiones ſuſcipiant, & præſtent; Inſtructiones hac de re jam diù editas, & in actis Eccleſiæ Mediolanenſis relatas, Parochi ipſi, & Confeſſarii quicumque recurrant, diligenterque ſervare ſtudeant.

Infirmorum conſanguinei, quibus eorum regimen ſpecialius commiſſum eſt, ſollicitè curent, ut, cùm primum ii febri, vel accidenti aliquo, aut corporis malà valetudine correpti fuerint, Confeſſionem Sacramentalem non differant: Suas partes in hoc etiam Medici impleant, & memores ſint Bullæ Sanctiſsimi Papæ Pii V. anno 1566.

editæ,

editæ, ne ſuà culpà pœnis ibidem comminatis ſubjaceant; quod ſi fortè cum Infirmo nequicquam actum ſit, ut ad Confeſſionem diſponatur, eo caſu tam ſanguine juncti, ſeu alii curam habentes, quàm medici Nobis id ſignificare non negligant, ut ſalutis animæ Infirmi reparandæ rationem aliquam, miſerante Deo, ſuggerere valeamus.

Animarum ſaluti in universà Diœceſi noſtra conſulere, ac Pœnitentibus majoris anſam confidentiæ præbere cupientes, ne, ubi Confeſſariorum copia deeſt, ibi pudore, vel metu Pœnitentes proprio Paroco peccata, vel reticere, vel non integrè confiteri audeant; Vicariis noſtris Foraneis permittimus nedùm, ſed etiàm mandamus, ut bis ſaltèm quot annis Confeſſarium extraordinarium, ſivè ejuſdem, ſivè alterius Vicariatus, in ſingulis Plebis ſuæ Parochiis, nomine noſtro, deputent, & ſeligant, vel Parocos in aliam Parochiam viciſſim commutandos tranſmittant, qui in ædibus Parochialibus reſpectivè degant, & alantur: durante hujus muneris obeundi tempore, quod ab ipſis Vicariis pro ſuà prudentià erit præfigendum, Sacramenta miniſtrandi, aliaque Parochialia offitia, quæcumque ſint, in Parætiis reſpectivè deſignatis exercendi, & a caſibus Nobis reſervatis Pęnitentes abſolvendi facultatem

Confeſſariis ipſis, vel Parochis delegandis, aut comutandis concedimus, & impertimur; Et ad hæc rectè, diſpoſitèque mandanda executioni, ne confuſio, vel aliqua exoriatur perturbatio, in primo menſtruo conventu, ſermo hac de re inter Parocos, quilibet in ſuo Vicariatu, habeatur, & ſi quæ emerſerint difficultates, ad Nos, opportunam deſuper inituros proviſionem, deferantur. Tempore verò adveniente, quo delegatio, & commutatio præmiſſa effectum ſortiri debuerit, ſemper a Parochis, Feſto die, inter Miſſarum Solemnia, præmoneatur Populus, ut ad expiandam conſcientiam ſe diſponat, & adeò ſalutari opportunitate frui non prætermittat.

Confeſſarii quicumque ſint, ſivè Sæculares, ſivè Regulares, ne Pœnitentiæ Sacramentum Infirmis miniſtrent, niſi priùs monito Paroco, ad quem ſpectat; Si verò periculum fuerit in morà, ut anteà Parocus certior fieri nequeat, ſtatim poſteà eum monere non negligāt, ſecùs ipſo facto ſuſpenſionem ab audiendis Confeſſionibus, arbitrio noſtro duraturam incurrāt.

Diligenter inquirant Parochi, ſicut & cæteri Confeſſarii, ac examinent Pœnitentium conſcientiam, an fœneratitios, alioſque injuſtos contractus iniverint, an pia legata perſolvere diſtulerint, aut quovis modo aliena injuſtè retineant,

ut

ut eorum ſpirituali ſaluti, monitis, & opportunis remediis, conſulere queant.

De Sacramento Matrimonii.

UT impedimentorum revelationi tempus detur, & locus, ne, factis denuntiationibus, Parochi immediatà posterà die Matrimoniis aſſiſtant, ſed in aliam ſubſequentem differatur celebratio.

In aliquibus hujus Diœceſis partibus, adhuc vigere intelleximus corruptelam, a prophano Gentilium more non abhorrentem, & pluries prohibitam, clamores ſtrepitus, tumultuoſaſque voces edendi, dum Vidua ad ulteriora vota tranſire intendens, publicè in Eccleſià denuntiatur, vel iterùm Nupta, ab Eccleſià diſcedens, ſuam aut mariti domum petit; Quod cum ſanè ferendum, diſſimulandumvè minimè ſit, tamquam a Chriſtianæ pietatis inſtituto, & a ſanctitate Matrimonii alienum, injungimus Parochis locorum, in quibus hujuſcemodi deteſtabilis corruptela ſubſiſtit, frequenter Populum ſuum, ſimilibus præſertim inſtantibus nuptiis, monere inter Miſſarum Solemnia, ut a clamoribus, ſtrepitibuſque edendis, fovendiſque omninò abſtineant ſub pęna interdicti; Et qui inobedientes, contempto-

 reſque

resque comperti fuerint ab Ecclesiæ ingressu eliminentur, ipsisque, non impetrata absolutione, decedentibus, Ecclesiastica sepultura sit interdicta.

Sinè legitimà causà, cujus judicium Nobis reservamus, ne unquàm a Parochis denuntiationes habendæ, vel ipsarum habitarum attestationes, quatenus opus sit, extraendæ procrastinentur, secùs pœnà unius aurei plectantur, & ulterius gravioribus pœnis, & fortioribus remediis ad obedientiam cogantur.

Qui a Nobis, vel Vicario nostro Generali, aut ab ipsomet Paroco fuerit substitutus, ut præsens sit, & assistat Matrimonio contrahendo, teneatur incunctanter rem omnem Paroco, ad quem spectat, scripto, referre, ut in Parochiali libro describi possit.

Pro eo tempore, quo Sponsi moram traxerint in hac Diœcesi, nè graventur reportare attestationes status liberi per depositiones Testium examinatorum, sed contenti sint Parochi denuntiationibus, in Ecclesiis, sub quibus Sponsi moram traxerunt, habendis ad formam Sacrosancti Concilii Tridentini, & Provincialium Sanctionum, nisi aliter a Nobis, seù Vicario nostro Generali, fuerit indultum.

Priusquàm in Ecclesià Matrimonium contrahatur, Provincialibus, & Synodalibus decretis

fuit

fuit alias ſancitum, ne modò ſimul habitent Sponſi, ſed ne etiam mutuà, familiarique conſuetudine utantur; Contrariam verò, & adeò perniotioſam corruptelam, quæ haud raró peccatorum eſt origo, adhùc ſublatam non eſſe, intelleximus: Ad hanc igitur eliminandam, primæ Synodi Specianæ innovamus, confirmamuſque Decretum, quo inobedientes ſententià excommunicationis eo ipſo innodati declarantur: Sub hac tamen prohibitione, & cenſurà compræhendi minimè intendimus civiles illas, honeſtaſque viſitationes, quę Parentum, aut aliarum Perſonarum ſanguine junctarum præſentià inter Sponſos haberi ſolent; quod idem pro Diœceſi ſuà literis diei 20. Martii 1723. declaravit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Metropolita noſter, cujus exemplum ſequi gloriamur: Et nè excuſatio aliqua, aut ignorantia poſſit allegari, bis ſaltem ſingulis annis, inter Miſſarum Solemnia, Decretum hoc Parochi Populo ſuo promulgent, & nihilominus, dùm mutuum a Sponſis conſenſum excipiunt, eos monitos faciant, ne ſimul cohabitent, nec ſolus cum ſola, familiarique conſuetudine degant, donec Matrimonium per verba de præſenti non contraxerint; & interim majori circumſpectione, pro filiarum ſuarum cuſtodià, honeſtateque tuendà, Parentes invigilent.

Quotiescumque, denuntiationibus habitis, Matrimonium intra duos menses non contrahatur, denuntiationes ipsas repetendas esse decernimus, nec aliter Parocus assistat, sub pœnà arbitratu nostro infligendà.

In Ecclesià Parochiali, mane, non autem vespere, minusve nocturno tempore, servatisque servandis, Matrimonia celebrentur; Parochi verò, qui sine nostro, vel Vicarii nostri Generalis speciali permissu aliter assistere præsumpserint, aureorum decem pœnà plectantur.

De Spiritualis Cognationis impedimento, quod in Baptismo, & Confirmatione contrahitur, detur a Paroco instructio, præsertim eo tempore, quo consensus, Matrimonium inire volentium, requiritur, excipiturque; & dum hoc offitium præstatur, vis, natura, & sanctitas Matrimonii ex Cathechismi Romani Doctrina accuratè explicetur, edocendo præcipuè, quàm singularis mentis integritas, pietasque sit habenda, quàve intentione sit ineundum, cum ad rem non humanam, sed divinam, ideſt Sacramentum, aperiatur aditus.

De

De Promovendis ad Ordines.

QUI Cantus Ecclesiastici Scholam in ædibus nostris Episcopalibus, ad publicum Cleri commodum institutam, frequentes non adiverint, aut aliter instrui non studuerint; ad Ordines Minores promoveri minimè sperent; a majoribus verò excludantur, qui Cantu eodem se sufficienter etiam instructos non probaverint, saltem illum ad Ordinem exercendum, quo petierint insigniri.

Nemo ad Examen Ordinandorum admittatur, nisi priùs vigore Edicti nostri, hac de re jam evulgati, documenta opportuna in Offitio Cancellariæ exhibuerit, & a Vicario nostro Generali approbationem obtinuerit.

Excludantur quoque, repellanturque, Parochiali Ecclesiæ suæ, sive cui fuerint addicti, servitium saltèm diebus Festis minimè præstantes, & qui habitu congruo, ac decenti incessisse, Doctrinæ Christianæ Scholam frequentasse, ac Ordinem suum exercuisse, non docuerint.

In actu Examinis, de Christianæ Fidei rudimentis interrogentur, & si ea perfectè callere non ostenderint, ab ulteriori promotione reiciantur.

Qui patrimonii titulo ad Sacros Ordines aditum habuerunt, & fortasse, justà subsistente cau-

sa, a Nobis probanda, sunt imposterùm habituri, Parochialis suæ servitio, nisi alii Ecclesiæ specialiter addicti fuerint, fortiùs adstrictos esse sciant, cum Sacri Concilii Tridentini Decreto cautum sit, nullos Patrimonii titulo promoveri posse, nisi quos Episcopus, pro necessitate, vel comoditate Ecclesiarum suarum, assumendos esse judicaverit.

Ad probandam tituli sufficientiam, quæ, ad Subdiaconatus Ordinem obtinendum, requiritur, nemo imposterùm admittatur, minusve a Cancellario, seu Notariis Curiæ nostræ Testium depositiones recipiantur, vel ad hasce habendas expediatur commissio, nisi prius a promovendo fuerint porrectæ preces, manu propria subscriptæ, tituli qualitatem, redditus, onera annexa, Testiumque examinandorum nomina, & cognomina distinctim exprimentes, & super hisce Noster, vel Vicarii nostri Generalis assensus scripto emanaverit.

Præter cæteras cautiones, in assignandis patrimoniis præstandas, ea etiam est, quà assignans, vel promittens, & cui assignatum, promissumque fuerit, affirmet jure jurando, nullum, subesse dolum, quo minùs, initiandus re ipsa titulo assignato liberè fruatur; qui verò in præmissis falsò jurare ausi fuerint, præter lethalem culpam, cujus

jus erunt Rei, excommunicationis quoque pœnam, quoad Laicos, & ſuſpenſionis a Divinis quoad Eccleſiaſticos, ipſo jure, & facto incurrant; &, ſi priùs quàm opportunam diſpenſationem obtinuerint, Eccleſiaſtici ſe Divinis quomodolibet immiſcuerint, irregularitatem contrahent. Ad evitandas itaque Cenſuras iſtas, caveant Aſſignantes, & Aſſignatarii ab omni dolo, &, ne ullo excuſationis, aut ignorantiæ prætextu tueri ſe poſſint, volumus, atque mandamus, ut Parochi, ante quamlibet Ordinationem, cujus certam habuerint notitiam, Decretum hoc Populo ſuæ Parochiæ publicent; Qui, de Inſtrumentis ea de re, celebrandis, rogatus extiterit, ſive ſit Cancellarius Noſter, ſive aliquis Notarius ſubſtitutus, tam Aſſignantes, quàm Aſſignatarios de ſupra comminatis pœnis certiores etiam faciat.

Atteſtationes, quæ per Clericos, causà ſtudiorum, in alienà Diœceſi de licentià noſtrà degentes, ſunt exhibendæ, non admittantur, niſi literis legalitatis munitæ fuerint.

De Vità, Honestate, & Habitu Clericorum.

INter ea, quæ peculiarem Episcoporum Vigilantiam, diligentiamque requirunt, præcipuum agnoscitur, incumbere, ne Clerus unquàm a rectà vivendi vià, & ab offitii sui ratione deflectat, nàm sicut alios nil magis ad pietatem, Deique cultum instruit assiduè, quàm eorum vita, & exemplum, qui in sortem Domini fuerunt vocati, a quibus cæteri etiàm sumunt, quod imitentur; ita decet, Clericos omnes vitam, & mores dirigere, ut nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, & rebus in omnibus, venerationem exigant: Hoc seriò Nos revolventes, plura ex iis, quæ de vità, & honestate Clericorum, sanctè, sapienterque Oecumenica, & Provincialia prçscripsere Concilia, in unum colligere, Edictoque nostro diei octavæ Februarii 1719. in hac Urbe, atque Dioecesi promulgato, innovare sategimus. Prætereà succedentibus annis, alia etiàm indiximus, quæ in Domino credidimus expedire. Supervenit postea Sanctissimi Domini Nostri Papæ Benedicti XIII. Constitutio, mense Majo, anni 1725. edita, quà Locorum Ordinariis norma præscribitur coercendi

di Clericos Beneficiatos in habitu laicali incedentes; Poſtremò ad obicem ponendum incontinentiæ, quæ Eccleſiaſticos laicis facit eſſe ludibrio, & ad arcendam quamlibet ſuſpitionem, quæ ex cohabitatione cum mulieribus oriri poteſt, peculiare Edictum promulgavimus: Horum itaque Edictorum omnium, quæ unà cum Apoſtolicà Conſtitutione præfatà, ac literis declaratoriis Vicarii noſtri Generalis, poſt Edictum circumſcriptum anni 1719. exaratis, hujus Synodi appendix exhibebit, obſervantiam enixè requirimus, volumus, atque mandamus, ut hujus Civitatis, & univerſæ Diœceſis noſtræ Clerus probitate morum, pietate, ſtudio, ac omnibus Clericalis diſciplinæ virtutibus cumulatè effulgeat.

Sobrietatis leges nemo audeat violare, ſed omnes, & ſinguli, frugalitate victus ſervatà, commeſſationes, compotationes immoderatas, & laicalia convivia evitent, tum maximè, in quibus mulieres interſunt; Si qui verò execrabilis temulentiæ vitii fuerint convicti, cõminatis memorato in Edicto noſtro pœnis, quas iterùm innovamus, aliiſque etiam arbitrio noſtro infligendis ſubjaceant, quàcumque remotà excuſatione, ut ita emendati, cæteris ſint in exemplum; & ad inquirendos, puniendoſque hujuſmodi vitio affectos, expeditiori, ſecuriorique formà procedendi,

di, ad præſcriptum Sac. Conc. Tridentini, Decretorumque à Sac. Congregatione emanatorum, uti intendimus.

Quotieſcumque Miniſterii poſtulet uſus, ſint omnes induti Veſte Talari, & Superpelliceis, quę non lacera ſint, non ſordida, non ita elaborata, ut nimius appareat ornatus, & quæ a pectore diſſecta ſunt, non vittis, aliiſque ornamentis, ab Eccleſiaſticorum decore alienis, vanitatemque muliebrem præferentibus, ſed ſolo globulo cum anſula, aut aliquo modeſto, decentique funiculo connectantur.

Paroco ſuo in Divinis Sacerdotes omnes, & Clerici inferiores inſerviant, obeundo etiàm reſpectivè Diaconi, & Subdiaconi munera, & ſi moniti, & requiſiti, nihilominus contumaces, negligenteſve fuerint, gravibus plectantur pœnis, uſque ad ſuſpenſionem a Divinis.

Comminatas in Iſimbardà Synodo pœnas innovamus contra Sacerdotes, & Clericos, Paroco ſuo, dum præſertim in Eccleſià proprià Parochiali exponitur, reponiturque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ocaſione Orationis Quadraginta Horarum, non coadjuvantes, ac in Hebdomadà Majori, dum Parochiani proceſſionaliter de more ad hanc noſtram Cathedralem ſeconferunt, Parocum ipſum Superpelliceo indu-

tos

tos non aſſociantes; Et ne contumaces a pœnis ipſis ſubtrahere ſe poſſint cura ſit Parocorum de eis Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem certiores facere.

Ad retinendam, conſervandamque Eccleſiaſticorum dignitatem, & ſanctimoniam, maximè conducit (diuturna experientia teſte) ſpiritualibus exercitiis aliquando vacare. Omnes itaque, & ſingulos de noſtro dilectiſſimo Clero, & præcipue Animarum Rectores, & Confeſſarios, Canonicos etiàm, & quoslibet alios Chori ſervitio adſtrictos hortamur in Domino, ut ſaltèm ſemel in anno ea, qua par eſt, animi recollectione, piè peragant, vel pœnes RR. PP. Societatis Jeſu in ædibus; ad ipſum unicè finem, ex religioſa Teſtamentarià diſpoſitione recolendæ memoriæ Anteceſſoris noſtri Caroli Octaviani Guaſchi magnificè extructis, extra Portam Omnium Sanctorum hujus Civitatis, in loco *del Zocco* nuncupato, vel apud RR. Sacerdotes Congregationis Miſſionum, iis tamèn ſemper ſervatis, quæ hac de re Sac. Congregatio Concilii literis ſuis diei primæ Februarii 1710. in appendice hujus Synodi inſerendis, abſolutè præſcripſit.

Nullus Clericus, etiam causà ſtudiorum, a Diœceſi præſumat abeſſe, non obtentà licentià noſtrà ſcripto exaratà, quam nedum a Cancellario, ſed

ſed a Notariis quoque ſubſtitutis in Curià noſtrà gratis in omnibus, expediri mandamus; qui verò ex Clericis, permiſſu Noſtro, in alienam Diœceſim proficiſcentur, regulas de habitus ratione, frequenti Sacramentorum uſu, aliaſque ad integram Clericalem diſciplinam pertinentes, ſervare ſatagant, & de hiſce præſtitis ab Ordinario loci, quò profecti fuerint, ſemeſtri quolibet obtinere, nobiſque exhibere curent, ſecus Dimiſſoriæ noſtræ minimè ſuffragentur, & pro irritis habeantur.

Quicumque ludi, recreationis causà, Clericis permiſſi nunquam publici ſint, ſed quo magis fieri poteſt, a Sæcularium oculis remoti, ideòque folle, pila minori, aut globis ligneis publicè in Urbis, locorumque Diœceſis viis ludere, aliòque exercitationis, quamvis honeſtæ, genere palàm uti, tamquàm indecorum, Clericalique ſtatui inconveniens, omninò vetamus: Ubique verò a prohibitis abſtineant, & demùm caveant etiàm, ne permiſſis diutiùs quàm par ſit incumbendo, tempus proiciatur, ſtudium, & Chriſtianæ pietatis opera deſerantur, vel ex eis contentio aliqua oriatur aut rixa. Qui ſecùs egerint, pro modo culpæ, pœnas arbitrio noſtro dabunt.

Ut ſuis, ſicuti debent, muneribus decenter, & opportunè fungi poſſint tum Sacerdotes, tum

Cle-

Clerici, ea in Ecclesiâ, cui adscripti sunt, aut inservire tenentur, Vestem Talarem, & Superpelliceum suum habeant singuli, sicque indutos, Ecclesiasticis functionibus semper interesse, volumus.

De Capitulis, & Canonicis, ac Disciplinâ Chori.

QUantò quis honoris gradu cæteris præstat, tantò studiosius vitæ, & morum honestate, religione, & pietate præcellere, aliisque exemplo esse debet: Quæcumque igitur Capitulis, & Canonicis, de vitâ, & moribus, conversatione, & Chori disciplinâ, tum in Tridentino, tum in Conciliis Provincialibus, ac Diœcesanis Synodis præscripta sunt, quilibet Canonicatum, aut Dignitatem obtinens, adamussim exequi, & implere ita curet, & studeat, ut vocationis, institutionisque suæ jugiter se memorem exhibeat, sui status, ac offitii debito nunquam desit, propriæque denominationi verbo, & opere ubique respondere videatur: Devotione, modestiâ, & diligentiâ, quâ semper tenentur, omnes, & singuli conveniant, persolvendas ad Horas Canonicas, non festinanter, non oscitanter

tanter, aut perturbate, ſed leniter, diſtinctè, & impigrè, interpunctionum, aſtericorumque morulis ſervatis recitandos: Pro temporis, & Offitii ratione ſedeant, ſtent, & genua flectant: Veſte Talari decenti, Superpelliceo mundo, aliiſque propriis, & convenientibus inſigniis induti, Choralibus, aliiſque Functionibus Eccleſiaſticis interveniant, ac in iis byreto utantur. Chori in ingreſſu, atque egreſſu, modeſtè, graviter, & ordine procedant; A colloquiis, eoque magis ab actibus ſanctitati loci inconvenientibus, abſtineant; Non abſcedent ſine juſtà, & rationabili causà, & non niſi priùs impetratà Præfecti licentià: Demum ea omnia implere non negligant quæ Conciliis præfatis, noſtriſque Diœceſanis Synodis pluries juſſa fuerunt; Sedulò verò, & accuratiùs, a noſtræ Cathedralis Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis ea ſervanda eſſe, non diffidimus, nam quemadmodum dignitate, habitu, & loco diſtinguuntur, præferunturque; ita oportet etiam, ut gravitate, devotione, & exemplo cæteris præluceant.

Punctaturæ mulctam irremiſſibiliter ſubeant, qui leges, ad Chori diſciplinam pertinentes, non ſervaverint, & caveant Punctatores, ne ex proprià conniventià, indulgentià, aut culpà; defectus alieni, erroreſque impuniti remaneant, ſecùs

ipſimet

ipſimet promeritas ab aliis pœnas pati cogantur, & graviores, pro modo culpæ, aut negligentiæ a Nobis expectent.

Nemo Punctatoris munus obire præſumat, niſi priùs, Decretorum Provincialium ad præſcriptum, præſtiterit juramentum, de munere ipſo fideliter exercendo, diligenterque; ſi quis autem non juratus illud obire præſumpſerit, pœnà arbitratu Noſtro infligendà puniatur.

Memores ſint Punctatores curam, & officium ſui muneris eſſe, tum Capituli univerſi, tum uniuſcujuſque Dignitate præditi, Canonicive abſentiam, & errata notare, ac punctationum libros Nobis, vel quibus per Nos fuerit commiſſum, exhibere.

Cum, præter Punctatorem quolibet a Capitulo delectum, facultativum ſit, etiàm Epiſcopis, ex Decreto Concilii quarti Provincialis alium creare, & eligere, hoc ipſum, ubi expediens eſſe cognoverimus, in uſum ducere curabimus.

Per ea verò, quæ ſuperius de punctaturæ regulis obſervandis, indiximus, conſuetudini tamen, peculiaribus privilegiis, ſi quæ ſint, ſtatutis, aucthoritate Apoſtolica, vel ordinaria confirmatis, approbatiſque innixẽ, & per Tridentinum Concilium, vel Apoſtolicas Conſtitutio-

nes non abrogatæ, præjudicare minimè intendimus.

Qualibet in Ecclesiâ Collegiatâ, Missa Conventualis diebus singulis in cantu celebretur, nec unquàm duæ Missæ ommittantur, altera de Festo, & alia de Feriâ, in Rubricis præscriptæ, quarum utraque, ex Concilii Provincialis tertii, & quarti Decreto cantanda est, etiam si occurrant Anniversaria, cum Missâ de Requiem, peragenda; Omnesque sciant, pro Missâ Conventuali aliam recipi non posse eleemosynam, nec illius Sacrifitium aliis, quàm pro Benefactoribus, & Fundatoribus applicari, Præbendarum, sivè Collegii reddituum tenuitate non obstante, nisi tamen in fundatione, vel ex peculiaribus Decretis Apostolicis, aliter cautum sit, & indultum.

Qui, ex Consuetudine Ecclesiæ, Choro solent interesse per totum annum, vacationis indulto, per Tridentinum Concilium concesso, frui minimè posse sciant.

In Capitularibus Conventibus, ordine quisque suo, & loco sedeat, animique sui modestè sensus aperiat, a verbis scurrilibus, jurgiis, rixis, & contumeliis omninò caveat, sinceràque voluntate, charitate, & exemplari modestià se gerat.

Quo

Quo ad alia Nobis non ignota, quæ in aliquibus Collegiatis ſingularem, fortioremque proviſionem exigunt, peculiaribus Ordinibus, & Decretis, quàm primum proſpicere curabimus.

Ut, in Functionibus omnibus in Cathedrali noſtra, & a Capitulo ejuſdem habendis, nil unquam indecorum, aut inconveniens inſpiciatur; quotieſcumque Muſici Cathedrali ipſi inſervientes, ſive ſint Clerici, ſive ſint Laici, eoque magis Muſicæ Præfecti, Miſſæ Solemni, diviniſque Offitiis, Proceſſionibus, Funeralibus, ac tempore Synodalium actionum interfuerint, ſuperpelliceo mundo, & congruenti habitu ſemper ſint induti, ſecùs excludantur, reiicianturque.

Teſtimoniales literæ, ad Canonicatum obtinendum nemini concedantur, niſi, prævio examine, de idoneitate petentis ſufficienter etiàm conſtiterit; Et ad Canonicatum prætereà nullus admittatur, vel ſaltem diſtributionibus quotidianis minimè fruatur, niſi priùs, quoad Chori diſciplinam, & cantum, per duos ex ſuo Capitulo a Nobis deputandos, idoneus renuntietur.

Quoad reſidendi, Divinis Officiis, & Choralibus aliis Functionibus interveniendi, indultoque abſentiæ fruendi, modum, & praxim, ſub-

 latis

latis quibuſcumque abuſibus, opportunè conſulere ſtudebimus.

Cum a Sac. Congregatione Concilii, ex mente Sanctitatis Suæ Nobis injunctum fuerit, ne aliquem promoveri ſinamus ad Dignitates, Canonicatus, & Offitia quælibet Eccleſiaſtica, in quibus qualitas Doctoratus, aut Licentiaturæ requiritur, qui prævio neceſſario examine, Doctoratum, aut Licentiaturam in aliquà publicà, & approbatà Univerſitate conſecutus non ſit, literas encyclicas ejuſdem Sac. Congregationis diei 28. Septembris nuper effluxi hac de re Nobis exaratas hic, ad univerſi Cleri noſtri notitiam, referri, & publicari mandamus.

R*Everendiſſime Domine uti Frater. Cum a Sac. Tridentino Concilio* ſeſſ. 22. cap. 2. de Reformat. *ſtatutum ſit, neminem ad Epiſcopatum eſſe aſſumendum; qui in Univerſitate Studiorum Magiſter, ſivè Doctor, aut Licentiatus in Sac. Theologia, vel Jure Canonico meritò promotus non ſit, aut publico alicujus Accademiæ teſtimonio idoneus ad alios edocendos non fuerit denuntiatus: Itemque* ſeſſ. 24. cap. 16. *Vicarium Capitularem eſſe debere ſaltem in Jure Canonico Doctorem, vel Licentiatum, aut aliàs, quantum fieri poterit, idoneum. Et eadem* ſeſſ. cap. 8. *Pœnitentiarium eſſe ab Epiſcopo in ſua*

Cathe-

Cathedrali instituendum, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Sac. Theologià, vel Jure Canonico; Quod ipsum cap. 12. *extendit ad Archidiaconos, & ad Dignitates omnes, & saltem ad dimidiam partem Canonicorum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis Insignibus, quoad eas saltem Provincias, ubi id commodè fieri possit;* Et sess. 23. cap. 18. *eadem Sacrosancta Synodus mandaverit, quòd Officia, vel Dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacrà Paginà, aut in Jure Canonico, & aliis Personis idoneis, quæ per se ipsos id munus explicare possint, conferantur;* Et sess. 24. cap. 18. *inter cæteras qualitates, quas exposcit in Examinatoribus ad Prochiales, præscripserit, quòd deberent esse Magistri, vel Doctores, aut Licentiati in Theologià, vel Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, & hæc eadem Doctoratus, seu Licentiaturæ qualitas, ab aliis Constitutionibus Apostolicis, atque Statutis Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, quoad Dignitates, Canonicatus, & Officia quædam Ecclesiastica, injuncta sit; Cordi semper fuit, tam Summis Pontificibus, quàm Sacræ huic Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum, ut*

 sarta

ſarta tecta permanerent, unà cum aliis Conciliaribus diſpoſitionibus, etiam ea, quæ in ſuperioribus fuerunt expoſita, ſublatis quibuſcumque ſubterfugiis, & illuſionibus, & aliis quibuſcumque, rectæ Diſciplinæ adverſantibus; Sanctus etenim Pius V. in ſua Conſtitutione 60. Bullarii Rom. Tom. 2. *decrevit, & declaravit, eos, qui a Comitibus Palatinis, & quibuſvis Collegiis Officialium Romanæ Curiæ, & ſingulis aliis Perſonis, ad Doctoratum, Licentiatarum, & Magiſterium fuiſſent promoti, nulla Gradus prærogativa frui, & gaudere poſſe, vel debere quoad Dignitates, & cætera Beneficia Eccleſiaſtica, & hæc eadem Sac. Congregatio, approbante fel. record. Clemente Papa X. ſequens edidit Generale Decretum, nempè.*

Die 22. Julii 1673. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, animadvertens quamplures impetrare, ac obtinere Dignitates, ac Beneficia, ex præſcripto Sacrarum Conſtitutionum, aut Decretorum ipſius Concilii, Gradum aliquem requirentia, non obſtante, quod Gradus hujuſmodi aſſecuti non fuerint in publicà, & approbatà Univerſitate, contra formam Conſtitutionis B. Pii V. incipien.: Quamvis a Sede Apoſtolica &c. ac volens propterea tam utilium Sanctionum obſervationi in poſterùm conſtanter proſpicere; Inhæ-

rendo

rendo Constitutioni præfatæ, ac declarationibus, alias factis, iterùm decrevit, quòd Gradus Magisterii, vel Doctoratus, aut Licentiaturæ, a dd. Sacris dispositionibus requisiti, debeant esse recepti, seù respectivè recipi in publica, & approbatà Universitate; Aliàs præter pœnas, ab ipsis Sanctionibus contra inobservantes inflictas, præfatæ Dignitates, vel Beneficia aliter collata vacent eo ipso, ac proindè taliter provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint, & die 26. ejusdem facta de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua præsens Decretum approbavit, observari mandavit, ac publicari.

Et hoc ipso currenti anno Sacra Congregatio prædicta statuit, & decrevit (re priùs concordata cum Eminentissimo Prodatario Sanctissimi D. N.) ut in Commissionibus, quæ a Sede Apostolica diriguntur Personis, degentibus in aliis Regionibus, quæ dicuntur mutatio Judicis, & quæ aliquandò expediuntur, quandò Partes recurrunt a Judicatis Ordinariorum, & instant pro deputatione novi Judicis, ioco appellationis in Curià, Clausula in posterùm apponeretur, quòd ille, cui fit Commissio, debeat esse in aliqua publicà, & approbatà Universitate Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel in utroque Jure, & non aliàs, aliter, vel alio modo, uti desumitur ex resolutionibus, editis die 17. Novembris 1725. &

die 9. Februarii 1726. quod ipſum die 30. Martii hujus ejuſdem anni extenſum fuit etiam ad Subdelegatos in caſibus, in quibus ſubdelegatio habet locum, itaut, ſicut ille, cui præfatæ diriguntur Commiſſiones, debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in aliquà publicà, & approbatà Univerſitate, in S. Theologia, vel in utroque Jure, ita hac eàdem qualitate potitus eſſe debeat ille, qui a Delegato ſubdelegatur in caſibus, in quibus locus eſſe poteſt ſubdelegationi.

Ut autem hæ omnes Reſolutiones, & Decreta, nedum innoteſcant, ſed etiam debitum ſortiantur effectum, Eminentiſſimi PP. ejuſdem S. Congregationis Concilii, ſicuti Locorum Ordinarios per encyclicas Literas monendos eſſe ſtatuerunt, ita Ampl. Tuæ injungendum duxerunt, prout præſentibus injungunt, nè ſinat aliquem promoveri ad Dignitates, Canonicatus, Officia, & quæcumque Munera Eccleſiaſtica, in quibus qualitas Doctoris, aut Licentiati in Sac. Theologia, vel Jure Canonico, aut in utroque Jure expoſcitur a S. Concilio Tridentino, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, aut quibuſcumque Eccleſiaſticis Statutis, qui Doctoratum, aut Licentiaturam conſecutus non ſit in aliquà publicà, & approbatà Univerſitate, & prævio neceſſario examine, per eos ipſos, & non per alios, qui ab eis ſubdelegentur, expleto, hoc eſt per eos ipſos, qui membra ſunt ejus publicæ, & approbatæ Univerſitatis, per quam expletur

collatio

collatio Gradus Magiſterii, aut Licentiaturæ; Renovatis adverſus eos omnes, qui aliter Magiſterium, aut Licentiaturam fuerint conſecuti, omnibus pœnis ſtatutis, tam in Bulla S. Pii V., quàm in ſuprà relato Decreto anni 1673. *ita approbante, & confirmante Sanctiſſimo D. N. BENEDICTO Papa XIII. Qui pro inviolabili præmiſſorum omnium obſervantià, ulteriùs derogavit omnibus in contrarium facientibus, ſivè Privilegiis, ſivè Conſuetudinibus centenariis, & etiam immemorabilibus; Mandavitque, ut ad perpetuam rei memoriam harum Literarum exemplar in iſtà Epiſcopali Cancellarià aſſervetur.*

Supradictæ itaque Sacræ Congregationis Sententiæ, & Sanctitatis Suæ Menti ſe conformare non omittat Ampl. Tua, cui omnia fauſta ex corde precamur a Domino. Romæ hac die 28. *Septembris* 1726.

Ampl. Tuæ

Uti Frater

C. Card. Origus Præfectus.

In Calce

P. Archiep. Theodoſiæ Secr.

De

De Parochis, & Parochiis.

MUneri ſuo ſatis minimè facere credant Animarum Rectores, quicumque ſint, qui, Curato ſuo Coadjutori pondus diei, & æſtus relinquentes, vitam otiosè ducunt, vel ab Eccleſià ſuà ſæpe ſæpius, etiam nullà impetratà licentià, abeſſe præſumunt, & quo tempore reſident, nulla, aut ſaltèm pauca ſubeunt onera, quæ primariò, & ex offitio ipſiſmet incumbunt, & quod deteſtabilius eſt, omni rejecto ſcrupulo, ſatis, Coadjutore Curato aſſiſtente, ovibus ſuis conſultum eſſe, & ſe ſe tutos in conſcientià conſtanter aſſerunt. Scandaloſam hujuſmodi libertatem, deſidiam, præſumptionemque Nos itaque coercere intendentes, diſtrictè mandamus omnibus, & ſingulis Parochis, Animarumque Rectoribus, quocumque nomine, & titulo nuncupentur, ut ipſimet pro viribus actu, & per ſe, legitimo ceſſante impedimento, munera ſua Parochialia obeant; Coadjutorem verò, qui in ſubſidium unicè permittitur, adhibeant in iis, quibus plenè, & integrè per ſe ſatisfacere nequeant. Quod ſi nihilominus, in re tanti momenti defecerint, & contumaces, deſideſque comperti fuerint, pœnam aureorum decem, Specianà Synodo ſecundà comminatam, aliaſque

aliaſque majores, arbitratu Noſtro, ſubire compellantur.

Ne Infirmis, eòque magis Animam agentibus præſentes adeſſe, omniaque ſalutaria offitia, piè, accurateque præſtare ommittant; & ſi aliquando, ex multiplicitate ægrotantium, vel ex aliis urgentibus Parochialis curæ occupationibus legitimè impediti, ubique adeſſe, & aſſiſtere nequiverint, tunc ea pietatis offitia a Curato ſuo Coadjutore, ſi quem habuerint, vel ab alio Sacerdote, aut ſaltem in ſubſidium ab aliquibus Viris, Sodalitatis Sanctiſſimi Sacramenti, vel Doctrinæ Chriſtianæ, magis idoneis, & inſtructis præſtari curent, donec ipſi accurrere poſſint. Cæterum etiàm non requiſiti, quos ægrotos intellexerint quantocius, & charitativè inviſant, ut eos, ad Sacramentorum ſuſceptionem inducere, eorumque animabus, quacumque ratione poterunt, ſollicitè conſulere queant.

Præfectorum in Urbe, & Vicariorum noſtrorum in Diœceſi, & ſuà reſpectiva Regione, cura ſit, ſingulis menſibus ſciſcitari de iis, qui obierint, & an Parochi præſentes fuerint, & ea, quæ debent, offitia præſtiterint, & pro conſcientià, Nobis referenda referant, ut ſingulorum culpa, ſeù negligentia innoteſcat, promeritiſquæ pœnis ſeveriſſimè vindicetur.

A Pa-

A Parochiali suà statione, sinè debità licentià ad præscriptum Decretorum Apostolicorum, ac Provincialium, & Synodalium ne abesse præsumant; Caveantque ne, diebus Festis de præcepto, oves sibi concreditas deserant (quod sæpissimè contingere intelleximus) ad aliarum Solemnitates Ecclesiarum evocati; Et quotiescumque, legitimà existente causà, aliquo Festo die, fuerint absfuturi, ne priùs discedant, quàm a Nobis, vel a Vicario nostro Generali, aut saltem a Præfecto suo in Urbe, & a Vicario Foraneo in Diœcesi, licentiam obtinuerint, & si Coadjutorem jugiter assistentem non habent, etiàm nisi alio substituto Sacerdote idoneo, & approbato, qui, illà die, Missæ Sacrificium in Parochiali faciat, & cætera, ut ipsemet, si præsens esset, obeunda munera præstet: Qui verò contravenire ausus fuerit, pœnis, pro modo culpæ, infligendis plectatur.

Gratis omninò dandas esse a Parochis attestationes, quæ libris è Parochialibus desumi debent, vel quod habitæ fuerint denuntiationes Matrimonii contrahendi, Synodus Isimbardà *tit. de Parochis §. Attestationes* decrevit, idemque Synodus Septala, vigesimo primo suo Decreto, ad memoriam revocavit; sed, quià nihilominus nonnullos contravenire intelleximus, & sæpe sæpius ad Curiam

riam noſtram querimonias deferri, Decretum prę-
fatum innovamus, confirmamuſque, & pœnà au-
reorum decem, quam Iſimbardà citata Synodus
propoſuit, contraventorem quemlibet puniri
mandamus.

In edendis atteſtationibus, de cujuſvis Clerici
vità, moribus, aliiſque requiſitis, potiſſimum ad
Ordines ſuſcipiendos, Parochi, quæcumque de Sa-
cramentorum frequentià, Eccleſiæ ſervitio, Or-
dinum exercitatione, Scholæ Doctrinæ Chriſtia-
næ aſſiſtentià, literarum ſtudio, & morum pro-
bitate, renuncianda habebunt, fideliter, & ſince-
rè exponant, ut ab Ordinum ſuſceptione non di-
gni excludantur.

Si quæ atteſtationes a Curato Coadjutore, loco
Parochi impoſterum editæ fuerint, non admit-
tantur, niſi in ſubſcriptione, qualitas Coadjuto-
ris fuerit ſpecificè expreſſa, qua intelligatur, Cu-
ratum ipſum, Titularem Eccleſiæ non eſſe, ſic-
que tollantur equivoca, quæ aliquando exoriun-
tur.

Quicumque Parocus in Urbe, ad hanc noſtram
Cathedralem, in Diœceſi verò, ad ſuam Pleba-
nam Eccleſiam pro Fontis Benedictione, ex anti-
quì conſuetudine, & in vim Decretorum Provin-
cialium, & Synodalium, ſolemni ritu faciendà,
ſtato tempore, non convenerit, comminatam
in

in primà Synodo Specianà pœnarum aureorum duorum pro qualibet vice, quà defecerit, luere cogatur.

Parocos omnes teneri, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis de præcepto, Sacrifitium Miſſæ pro ovibus ſuis applicare, etiam ſi redditus tenues ſint, Sac. Congregatio Concilii (cujus eſt Concilium Tridentinum interpretari) pluries declaravit; Caveant itaque Parochi a diverſis, in hac re, aliquorum Auctorum ſententiis, & ut quiſque tutius conſcientiæ ſuæ conſulere valeat, unam, præcæteris Sac. Congregationis Deciſionibus, Lucanam ſcilicet diei 10. Maii 1681. hic referendam duximus, tenoris, ut ſequitur.

Cum præcepto divino, iis quibus Animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro ovibus ſuis Sacrifitium offerre, ſæpe alias Sac. Congregatio Concilii cenſuit Parocos teneri pro Parochianis Sacrifitium applicare, *atque eà cum diſtinctione ut, ſi redditus* pingues *ſint*, ſingulis diebus, *ſi verò* tenues, *ſaltem diebus Feſtis; idem nunc cenſet quoad Parocos iſtius Civitatis, & Diœceſis, hoc inſuper addens, ut detrectantes Em. Veſtra pro ſuo Paſtorali Zelo compellere non gravetur.*

Quotieſcumque adminiſtranda ſint Sacramenta, prius illorum vim, & uſum linguà vernaculà, & opportunè, pro ſuſcipientium captu, explicare

plicare Parochi ſtudeant, ut Populus, majori ſemper reverentià, atque animi devotione, ad ea ſuſcipienda accedere aſſueſcat.

Cum a nonnullis, præſertim in Diœceſi, diu noctuque, ac etiam Feſtis diebus, tabernæ adeò frequententur, ut inde ebrietas, turpiloquia, blaſphemiæ, rixæ, familiarum querelæ, & exterminia exoriantur, Parochi, & ſinguli Animarum Rectores, ab Altari inter Miſſarum Solemnia, contra vitium hujuſmodi ſæpiſſimè invehant, pœnamque interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, nomine noſtro hujuſmodi vitio affectis minentur; Dein ejus generis homines ad ſe accerſitos, paternè, & charitativè moneant, ut ab adeò prava conſuetudine abſtineant; Quod ſi bis terve moniti, nihilominus inobedientes fuerint, & contumaces, a limine Eccleſiæ ſequeſtratos denuntiare non vereantur, ſtatimque Nos, ſeu Vicarium noſtrum Generalem reddant certiores.

Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti Papæ XIII. anno 1724. octavo idus Septembris editam, quà Parochiales Eccleſias, quovis modo, & titulo, penſionibus gravari etiàm per viam reſignationis, ac alimentorum causà, vetitum eſt, ad omnium notitiam deferri publicarique, & in hujus noſtræ Synodi appendice referri mandamus.

Ne

Ne patiatur Parocus, quempiam ſibimet ignotum hominem, qui in ſuam Parochiam commigraverit, cum muliere, quam ſecum conjugis nomine duxerit, in illa habitare, ſi ex infamia, vel aliâ legitimâ ſuſpitione, coniicere poſſit, illam habere in concubinam, niſi, certo præſcripto termino, fide dignum exhibuerit teſtimonium, quo ſibi conſtet, legitimo junctam eſſe matrimonio.

Seriò commonitos etiam Parochi faciant Tabernarios in ſuà Paretià degentes, ne virum, & mulierem, quos in hoſpitium exceperint, matrimoniòque non eſſe copulatos ſuſpicentur, ſimul cubare ſinant; ſed immò ut ſuſpectarum hujuſmodi perſonarum nomina, & cognomina, (ſi ultra triduum ibi commorentur) ad Parocos ipſos deferant, ut quantum fieri poteſt peccatis occurratur; Secus Tabernarii obtemperare renuentes, negligenteſque, pœnà interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ puniantur.

Caveant Parochi, & Confeſſarii omnes, ne ad Sacramentorum ſuſceptionem eas admittant mulieres, quæ ſpretis adhuc paternis monitionibus, cenſuraſque in Edicto Noſtro, de reverentià Eccleſiis præſtandà, commemoratas parvifaciendo, publicè & palam nudato capite, ac immodeſto veſtitu, ornatuque in Eccleſias ipſas conveniunt, &

ad

ad Sacramenta ſuſcipienda accedunt. Id enim, ad abuſum ejuſmodi depravatis moribus introductum ex Paſtoralis Offitii Noſtri debito evellendum, Edicto præfato enixè demandavimus, & nunc iterùm injungimus, atque mandamus.

De Seminario.

POſt editam, ſeptimo idus Maii 1725., Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti Papæ XIII. Conſtitutionem, quà mandatur, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenùs erectum non fuit, quàm primùm erigatur; ubi verò jam fuerit erectum, ſed congruis redditibus, ad Alumnorum, Magiſtrorumque ſuſtentationem neceſſariis, inſtructum non eſt, de iis, juxta formam ibidèm præſcriptam, provideatur, inſtituta ſuperindè peculiari Congregatione, quam Sanctitas Sua iſtiuſmodi Seminariorum negotio præeſſe voluit; Emanarunt etiam ejuſdem Congregationis literæ encyclicæ diei 30. Martii anni nuper effluxi ad Nos tranſmiſſæ, quibus plura, de ſtatu, & regimine Seminarii, in hac Civitate jàm ante ſęculum, ope divina inſtituti, referenda exquiruntur; Quibus Sanctitatis Suæ, & Congregationis inſtitutæ juſſis parere volentes, jam diligentiam omnem

in id conferre, minimè neglexinus, ſed, ut omnibus ſatisfacere valeamus, operà, & peculiari ſtudio, auxilioque Regentium, & Miniſtrorum Seminarii indigemus: Quapropter eiſdem committimus, & mandamus, ut Conſtitutione, literiſque præfatis quàm primùm examinatis, & attentiſſimè ponderatis, de ſingulis, quæ renuntianda ſunt, & ad originem, ſtatum æconomicum, ac gubernium ejuſdem Seminarii præcipuè ſpectant, Nos in ſcriptis, & enucleatè inſtructos reddere curent.

Seminarii Rector, aliique Offitiales diligenter Alumnorum mores, & vitam obſervent, & inquirant, & ſi quid in ipſis, aut de ipſis animadverterint, intellexerintque, quod ſcandalum afferre, vel labem aſpergere Seminario poſſit, fideliter, & extemplò Nos commonefaciant, & ſolliciti ſint, ut leges Seminarii, tum quæ ad ſtudia, tum quæ pertinent ad exercitia ſpiritualia, inviolatè obſerventur.

Sciant Alumni, inſtituta non eſſe Seminaria, ut in eis Clerici educentur, qui ſibi tantum utiles, & Sacerdotes ſymplices futuri ſint, ſed, ut indè idonei, ad curationem Animarum, quas ſuo Sanguine pretioſiſſimo Chriſtus redemit, ſtrenuique operarii habeantur: Abſit itaque ab omnibus, & ſingulis anxietas

illa

illa deteſtabilis, qua non pauci, ſtudiis etiàm non abſolutis, ad Sacerdotalem gradum feſtinanter aſcendere, & Seminarii legibus ſoluti, ſe priſtinæ libertati reſtituere conantur; quod ut faciliùs, & celeriùs aſſequantur, literas commendatitias quæritare, importunaſque interponere preces nunquàm deſinunt; His enim Sac. Concilii Tridentini finis, quem hujuſmodi Collegia inſtituendi habuit, Paternaque, immortali laude digna Sanctiſsimi Domini Noſtri Papæ Benedicti Regnantis in illis ſuſtentandis, ſollicitudo, quotidiè eluduntur; Quæ omnia in hoc publico Synodali Confeſſu, pro animi Noſtri ſenſu, & dolore pronuntiamus, ut Adoleſcentes, qui, ſingulari Dei beneficio, inter Alumnos Seminarii ſunt delecti, intelligant, perpendantque, cujus gratià inſtituta fuerint Seminaria, & quo Alumnorum ſtudia, & conatus primariò tendere debeant.

A ludis vetitis omnes Alumni tam palàm, quàm privatim, etiam quo tempore animus recreatur, caveant. Diverſo Familiæ propriæ nomine ne quemquam appellent, vel aliter illudant, ſed ſibi ſemper honorem viciſſim exhibeant; Si quis verò correptione, & pœnà dignum aliquem animadverterit, Rectorem ſta-

tim commonefaciat; Quæcumque demùm occaſione Viſitationis Noſtræ Paſtoralis, ſervanda decrevimus, & de mandato Noſtro fuerunt omnibus propoſita, unuſquiſque, pro ratione muneris, & debiti ſui, curet exequi, ſecùs contraveniens, excuſatione quacumque rejectà, graviter arbitrio Noſtro mulctabitur.

De Congregationibus.

NE Parocorum Congregationes, ubique utiles adeò, & neceſſariæ, ommittantur unquàm in Diœceſi, differanturque, Synodi Camporeæ Decretum innovamus, quo, conſtitutas ultra pœnas, etiam ſuſpenſionis Cenſura Vicariis Foraneis, conventus hujuſmodi, menſe quolibet, cogere negligentibus, eſt comminata: Concilio tamen Provinciali Quarto inhærentes, indulgemus, ut Decembri, & Januario menſibus, ob dierum brevitatem, itineris difficultati ut plurimùm conjunctam, intermitti valeant.

Vacante aliquà Eccleſià, Titularis defuncti vices impleat Æconomus deputatus, & ex Redditibus Eccleſiæ ejuſdem impenſam faciat, ne Congregationum agendarum ordo

per-

pervertatur, vel plus justo cæteri Parochi Vicariatus graventur.

Quicumque ex Parochis pœnes se conventum habere suo tempore renuerit, aureorum sex, usibus piis, arbitrio Nostro, applicandorum pœnâ, ipso facto incurrendà, plectatur, & nihilominùs ad Congregationem habendam compellatur.

Quindecim antê diebus, quàm stata Congregationis habendæ venerit dies, Vicarii Foranei de illius die certo, & loco, ubi futura est, Nos, vel Visitatorem designatum faciant certiores, ut, qui voluerit, Congregationi præsens in tempore adesse possit.

Visitatores ipsi Nostros ea de re typis datos ordines sæpe recurrant, & in hisce exequendis, suas desiderari partes non patiantur.

Sacerdotum conventus, quos, ope divinà, & electorum a Nobis Præfectorum commendabili solertià, ad praxim in Urbe revocari curavimus, in universà quoque Diœcesi nedum institui cupimus, sed Synodo Specianæ secundæ, Edictoque Nostro diei 8. Februarii 1719. inhærentes iterum præcipimus, mandamusque: Quisque propterea Vicarius Foraneus, cum Ecclesiarum sui Vicariatus Rectoribus agat, & sine morà rationem ineat, de conventibus ipsis habendis, & su-

per emergentibus, quotiefcumque fit opus, Nos, feu Vifitatorem regionis confulat; interim verò, quę memoratis in Ordinibus Noftris editis die 24. Januarii 1720. peculiari, & diftincto titulo *Per li Sacerdoti, e Cherici della Diocesi* fuere præfcripta, non negligat exequi, ut femper, & ubique locorum hujus Noftræ Diœcefis, firmamenta Ecclefiafticæ Difciplinæ, atque præfidia, quo magis fieri poteft, confolidentur.

Menftruis in Urbe Congregationibus, fi qui Sacerdotes intervenire neglexerint, vel quæ in illis præftanda, fervandaque funt, implere detrectaverint, comminatà in Edicto noftro diei 18. Novembris 1721. pœnà plectantur, majores etiam infligendi pro contumatiæ, culpæve modo, refervatà Nobis facultate.

Omnia, & fingula, quæ in Inftructionibus, ex Concilii Provincialis IV. Decreto editis, & in Synodo Ifimbardà impreffis, fancita fuere, de Diœcefanis Congregationibus, & præcipuè de ordine, & tempore conventus habendi; de veftitu deferendo; de Mortuorum Offitio; Miffà Conventuali; Et de Refectione; adamuffim obfervari præcipimus; Qui vero in hoc defecerint, peccaverintve, condignam arbitratu Noftro pœnam fubibunt.

De

De Bonis, & Juribus Ecclesiæ Conservandis.

AD Ecclesiarum, Beneficiorumque jura, quæ magis in dies depereunt, conservanda, statuimus, hac nostrà Synodali Constitutione, decernimusque, sicuti aliàs, & pluries Conciliorum, & Synodorum Decretis sancitum fuit, ut defunctorum Clericorum Hæredes, vel quicumque alii, ad quos Instrumenta, regesta, & documenta quælibet, ad Ecclesiam, seù Beneficium quomodocumque spectantia, pervenerint, Ecclesiæ, & Beneficiato successori fideliter, & gratis tradere teneantur, etiam si defunctus, in hujusmodi scripturis habendis, sumptus aliquos fecerit; Qui verò detrectaverint, pœnæ excommunicationis, in Isimbardà Synodo propositæ, memores sint, eorum enim ad consignationem compellendos esse mandamus.

Publicè in Sacristià cujuslibet Ecclesiæ retineatur exposita Tabella, quà, & distinctè indicentur onera Missarum, & Anniversariorum, aliorumque piorum operum quomodolibet injuncta, atque constituta, Tabulis, ex quibus constant, specificè expræssis.

Ut Canonum, & Censuum Ecclesiæ debitorum

 memo-

memoria, quoad fieri poteſt, magis, magiſque conſervetur, & comprobetur, Beneficiati, vel Capellani, ſeu alii quicumque, quibus aliquid in ſingulos annos, ea de causà ſolvitur, cum primum id exegerint, Notarium adhibeant, a quo publici Inſtrumenti fide teſtatum fiat de accepto, quove ex titulo, ac jure, vel ſaltem contrapocam a ſolvente ſubſcriptam habere curent; itemque a poſſeſſoribus bonorum emphiteuticorum, in dominos directos publico rogitu, expreſſiſque novis confinibus, recognoſci non negligant.

Ad occurrendum præjudiciis, quæ ſæpe ſæpius Eccleſiæ contingunt, ex bonorum annuo Canoni obnoxiorum alienatione, quæ fit aliquando per emphiteutas, inſcio, & irrequiſito Domino directo, Synodi Iſimbardæ Decretum *ſub titulo de Bonis, & Juribus Eccleſiæ §. Cum in dies eveniat*, innovamus, & memores ſint Notarii, qui Inſtrumenta alienationum confecerint, excommunicationis ipſo facto incurrendæ, quotieſcumque, in præjudicium Eccleſiæ, utantur cautelis, vel ea ommittant exprimere, quæ in Decreto præfato diſtinctim explicantur. Et ne ulla excuſatio, vel ignorantia poſſit allegari, bis, in ſingulis annis, Parochi, inter Miſſarum Solemnia, Decretum ipſum Populo ſuo publicent,

cent, quod idem in præfata Synodo cautum fuit.

Cum, ut plurimùm a Beneficiatis, loco inventarii bonorum, & jurium, quod, termino bimestris a die obtentæ collationis, seu institutionis, in actis Cancellariæ Curiæ Nostræ, juramenti vinculo exhibere tenentur, descriptio symplex, informis, inordinata, & in pluribus deficiens, exhibeatur; præcipimus, atque mandamus, ut qui imposterum Beneficio aliquo, cum Cura, vel sine Cura, sivè Apostolica, sivè Ordinaria auctoritate, provisi fuerint, bonorum omnium, & singulorum mobilium, & immobilium, jurium, annuorum Canonum, sive Censuum, & reddituum, ac aliorum quorumcumque, ad Beneficium obtentum, quocumque jure, aut titulo pertinentium, Inventarium manu publici Notarii confici curent, descriptis in eo præcipuè finibus bonorum, & omnibus aliis ad rem facientibus, ac in actis Cancellariæ Nostræ, termino præfato dimittere non negligant: Qui verò in hisce negligentia, vel contumacia, vel dolo, peccaverint, pœnas arbitrio Nostro infligendas luant; Nosque ulterius viros idoneos delegabimus, qui Beneficiatorum sumptibus id præstent; Cæterùm Inventaria, quàm, ut supra indiximus, aliter

facta,

facta, a Cancellario Curiæ Nostræ, aliisque substitutis ministris ne recipiantur.

Præfecti in Civitate, & Vicarii Foranei in Diœcesi ne dedignentur, ædificia, & bona Beneficiorum personali visitatione aliquando recognoscere, & si quos improvidos, negligentesque compererint, in iis, quæ reparationem, culturamque respiciunt, seriò moneant, ut quàm primum debito suo plenè satisfaciant; quod si nihilominùs contumaces fuerint, ad Nos, seù Vicarium nostrum Generalem deferantur, ut promeritam pœnam luant, promptioribusque juris remediis, & etiam per censuras, ad id compellantur.

Ut, eà cautione, qua par est, atque custodià, & regulà, scripturæ omnes ad Ecclesiam, & Ecclesiastica jura spectantes ubiq;, & jugiter asserventur, usus Archivii a quovis Ecclesiarum Rectore diligenter habeatur, & ubi fuerit neglectus, quàm citius fieri potest, remittatur, constituaturq;, & de hoc Visitatores, Præfecti, & Vicarii Foranei, demandato sibi munere fungentes, diligenter inquirant, ut inobedientes pœnà, quæ aliis sit in exemplum, plectantur.

De Conservandis Scripturis, & Instrumentis, quæ a Notariis Ecclesiasticis tractantur.

NOstra minor esse non debet sollicitudo, ut tam Instrumenta, & acta publica, quæ a Notariis Ecclesiasticis in Diœcesi, quàm quæ in Curià Nostrà Episcopali tractata fuerunt, & in dies aguntur, rectè, diligenterque custodiantur, atque conserventur. Ne igitur, alicujus ex Notariis Ecclesiasticis in Diœcesi degentibus obitu eveniente, confectæ ab ipsis scripturæ quælibet, Ecclesiarum, piorum locorum, aliarumque personarum detrimento pereant, sicuti, non sine animi Nostri mœrore, contigisse intelleximus, Vicariis Foraneis injungimus, ut, statim ac obitum audierint, defuncti ad habitationem accurrant, omnesque scripturas invisant, & quas Instrumenta originalia, quæ prothocola dicuntur, vel acta publica cognoverint, aliaque documenta ad Ecclesiam spectantia, factà descriptione, pœnes se asservent, donec alius Notarius Ecclesiasticus defuncti Consanguineus, vel ab Hæredibus eligendus reperiatur, cui, Nostro tamen accedente beneplacito, etiàm pro requisità expletionis facultate, consignari possint: Ubi verò nullus Nota-

rius

rius aptus existat, volumus, omnia ad Archivium Nostrum Episcopale, sine jurium ipsorum Hæredum præjudicio, transferri; Et si quæ Instrumenta, vel acta a Notario Ecclesiastico defuncto tractata, pœnes aliquam privatam personam reperirentur, sedulò curent Vicarii Foranei, ut alicui Notario Ecclesiastico si aderit extradantur, factà tamen priùs exactà descriptione, sin minus, ad Archivium Curiæ Nostræ remittantur.

Ecclesiasticis omnibus, & singulis, quicumque sint, in hac Diœcesi degentibus, & Notariatus Offitio fungentibus indicimus, atque mandamus, ut termino mensis a Vicariis Foraneis quamprimùm præfigendo, coram Vicario nostro Generali exhibeant diplomata suæ creationis, approbationisque, ut innotescere possit, quà auctoritate tale munus exerceant, secùs elapso termino præfato, & non exhibitis diplomatibus, ab ulteriori exercitio suspensi remaneant.

Vicarii Foranei quamprimum ad Nos, vel Vicarium nostrum Generalem notulam omnium Ecclesiasticorum, Notariatus Offitio in sua respectivè regione fungentium, transmittant, & adhibito Viro experto, & in hisce perito, nullà interposita morà, Instrumentorum, actorumve ab hujusmodi Notariis tractatorum, ipsosque pœnes existentium Visitationem ineant, & ex-

quisitè

quiſitè recognoſcant, quà diligentià, & methodo aſſerventur, & in Codicem referantur; &, ſi quos in offitio, vel ex imperitià, vel ex incurià, aliave causà, malè verſari compererint, Nobis, ſeù Vicario noſtro Generali, deferre non deſinant.

De Viſitatoribus, Præfectis, & Vicariis Foraneis.

NIl unquam viſum eſt, pro optimà Miniſterii Noſtri ratione, opportuniùs, quàm ſingulares pietate, prudentià, & eruditione viros eligere, qui, communi quadam ſollicitudine, in rebus agendis conſilium, & operam exhiberent, præſtarentque; Gentis enim Iſraeliticæ gubernio ſuffectus ipſe Moyſes ſubſidiarios adſcivit ſibi Seniores ex Populo, quorum ſuffragiis adhùc uteretur, & vicibus: Cum itaque primùm Cremonenſem ad hanc Eccleſiam, Nobis licèt immeritis commiſſam, acceſſimus, Viſitatores Generales, & ſpeciales, Præfectos in Urbe, omnes Confratres Noſtros dilectiſſimos, & ex Capitulo Cathedralis Noſtræ ſelectos, item Vicarios Foraneos in Diœceſi, & alios Offitiales, & Miniſtros elegimus, ac deputavimus, diverſaſque Congregationes, ad Cleri diſciplinam inſtaurandam,

ad

ad Ecclesiastica jura tuenda, conservandaque, ad opera pietatis, devotionisque promovenda, cultum divinum ampliandum, pluraque alia præstanda, ad præscriptum Conciliorum Provincialium instituimus, singulorumque instructioni, & regulæ memoratos Ordines die 24. Januarii 1720. edidimus, ac promulgari distribuique curavimus; Omnibus itaque, & singulis Electis, ac Deputatis ordines ipsos sæpe sæpius, & diligenter recurrere injungimus, ut jussa nostra adamussim impleantur. Præterea a Vicariis Foraneis, eorum omnium, quæ, in literis patentibus deputationis per Nos factæ, leguntur, observantiam exquirimus, adeò ut nil desiderandum relinquant; Et, dum de ipsis Electis ea Nobis promittimus, quæ a prudentibus, & diligentibus Viris expectari possunt, ità quoque ingenti pondere, quod humeris Nostris impositum est, plurimum in Domino levari speramus, confidimusque.

Præcipua verò sit eorum vigilantia, sollicitudoque scrutari, & inquirere de Parocorum residentià, ac offitii eisdem injuncti implemento; & si quem debito suo ex negligentià, vel impotentià, aut ignorantià deesse cognoverint, vel circa morum honestatem, & conversationem, correctione dignum animadverterint, Nobis significare.

Paroco-

Parocorum Congregationes in Diœcesi Vicarii Foranei ne sinant intermitti, & sicuti superiori titulo *de Congregationibus* innuimus, decrevimusque, mensuales quoque conventus Sacerdotum, & Clericorum in usum deducere satagant, caveantque, ne quicquam agatur, ommittaturve, quod Provincialibus, vel Synodalibus, ac Nostris Decretis adversetur, singulosque abusus, quos irrepsisse cognoverint, evellere curent, & super emergentibus Nos, vel Vicarium nostrum Generalem, aut Visitatorem respectivè designatum, consulere ne dedignentur.

Termino mensis Vicarii metipsi Foranei quisque in suo Vicariatu, Confessariorum omnium tam Sæcularium, quam Regularium, in Curià Nostra approbatorum, notulam remittant, & de eorum probitate, prudentià, & doctrinà singillatim, & pro conscientià, instructos Nos reddant.

Facultativum esse volumus Vicariis Foraneis, pro respectivà eorum regione, informationes sumere, assensum præstare, Decretumque celebrandis Instrumentis nomine Nostro interponere, quotiescumque de restituendis, vel investiendis Capitalibus juris Ecclesiæ, summam phylippeorum quinquaginta non excedentibus, agatur, absque eo quod, ulterior exquiratur licen-

tià

tià Nostrà, aut delegatio; circumspecti tamen sint, & solliciti, ne præjuditium aliquod Ecclesiæ juribus inferatur, & caveant, ne partes in expensis quovis modo, plus justo, graventur, super quibus conscientiam eorundem oneramus.

De Edicto diei 17. Februarii 1723.

Quæcumque de Altarium ornatu, munditie, & aliis requisitis; de Missarum celebratione; de Sanctissimi Sacramenti Expositione; de ratione, ac methodo librorum Parochialium conscribendorum; ac de aliis præstandis, sancita fuerunt in Edicto diei 17. Februarii 1723. de mandato Nostro, jam publicè affixo, & distributo, quod Appendix hujus Synodi exhibebit, hac nostrà Synodali Constitutione confirmamus; Et quoad libros Parochiales, in quos referri debent Baptizati, Confirmati, Matrimonia, & Defuncti, iterùm omnibus, & singulis Animarum Rectoribus injungimus, atque sub pœnà jam comminatà mandamus, ut formulas, quæ in Rituali Romano habentur, observent, semperque diem, ac annum, per literas, & syllabas, non autem aritmeticis numeris exprimant,

&

& deſcribant ; Idem etiàm peragant, in extradendis atteſtationibus, ſecùs in hoc deficientes pœnâ unius aurei, qualibet vice, plectantur, ipſaſque atteſtationes præſcripto modo non editas reformare cogantur.

Ut Sacroſancto Sacrificio Miſſæ ſemper omnia decentiſſimè reſpondeant, cereos, & candelas congruæ craſſitudinis, & longitudinis adhiberi; debitiſque temporibus mutari mandamus, ne Populo lumina adeò conſumpta, & diminuta inſpicienti, potiùs admirationis, & murmurationis, quàm devotionis præbeatur occaſio; Eadem quoque cereorum decentia, & congruentia habeatur in Expoſitione Sanctiſſimi, aliiſque Divinis Offitiis; Si qui verò ex Parochis, Beneficiatis, Capellanis, aut aliis, ad quos ſpectat, fuerint in culpà reperti, ac de incurià qualibet convicti, condignam arbitratu Noſtro ſubeant pœnam, quæ cæteris ſit in exemplum.

Ut pro temporum, locorum, cauſarumque ratione, ordinatim qualibet in Eccleſià Miſſæ celebrentur, conficiatur a Rectore Tabella in Sacriſtia loco conſpicuo proponenda, & affigenda, in quà celebrationum diſtributio, dies ſcilicet, hora, & Altare, tum Sacerdos, qui celebrare tenetur, aptè deſcripta appareant, & ad hujuſmodi Tabellæ præſcriptum, quilibet Beneficiatus, ſivè Capel-

lanus ſacrum facere non negligat, ſecùs pœnam aureorum duorum, pro qualibet vice, incurrat.

Quibuslibet in Oratoriis, quo tempore Miſſa Parochialis in Eccleſià celebratur, nullus Sacerdos Sacrum peragere præſumat, inconſulto Paroco.

Meminerint Beneficiati, & Capellani quilibet, in Altari certo, ex inſtitutione, dotatione, ſeù legato, Miſſam celebrare adſtricti, ſi in alio celebraverint, minimè præſtare, quod debent, etiam ſi Sacrifitium applicaverint, cum præſentia quoque requiratur, ut plenè ſatisfaciant. Qua itaque die, in Eccleſià proprià non celebraverint, ne in libro illius Sacriſtiæ ſatisfeciſſe ſcribant, ſubſcribantve, nec id a Rectoribus, vel Sacriſtis permittatur, pœnà aureorum ſex contrafacientibus impoſità.

Sacerdotes omnes paternà charitate hortamur in Domino, ut Sacrifitium, illà, qua decet reverentià, offerre ſatagant; Efficacia Conciliorum, & SS. Patrum monita in fine Appendicis Synodi Septalæ relata, ſedulò, & ſæpè perlegere, & meditari non negligant, nulloque modo devotam, ac debitam præparationem ante Miſſam, hacque abſoluta, gratiarum actionem prætermittant. Et quia, non ſine gravi cruciatu, intelleximus, aliquos non niſi ſtudere, ut quam citiſſimè in celebrando ſe expediant, ex quo fit, ut ſcandalosè Sacras Ceremonias confundant, pervertantque, vix genuflectant,

ctant, cursim, & festinanter nimis verba proferant, immò mutilent, deglutiantq;, nec alio impulsu rem divinam facere videantur, nisi ut inde vile illud lucrum consequantur; quodque enormius etiàm est, de hujusmodi præcipiti celebratione quandoque gloriari, aliosque pios, & devotos Sacerdotes irridere non erubescunt: Præfectis in Urbe, & Vicariis Foraneis in Diœcesi, Parochisque, Sacristis, & aliis omnibus, & singulis, ad quos spectat, ex offitio præcipimus, & in virtute S. Obedientiæ mandamus, Sacerdotes adeò irreligiosè sacrum agentes ad Nos deferre, ut arbitraria suspensione a Divinis, aliisque pœnis plectantur, eaque mysteria non attingant, quæ indignè tractare non horrescunt.

De Monialibus.

IN quolibet Monasterio liber habeatur penes Cancellariæ Præfectam pro tempore asservandus, in quem legata, vel annualia, quæcumque sint, ad vitam Monialium persolvenda, distinctim referantur, jure etiam, & titulo, quibus exigenda sunt, accuratè expræssis, & quidquid fuerit acceptum pro singulis, diligenter in eo notetur.

Nulli ex Monialibus annualia ipsa liceat exigere,

nec accepti Confessionem aliquam scripto edere, nisi Superiorissæ, & Cancellariæ una simul accedat præsentia, & subscriptio, secùs verò factæ, & editæ Confessiones, irritæ sint imposterùm, & iis, qui solverint minimè suffragentur, illaque Monialis, quæ contravenire ausa fuerit, tamquam Voti paupertatis violatrix habeatur, severeq; puniatur.

Prius quàm ad Professionem emittendam admittatur Novitia, de annuo Livello, si quod fuerit concordatum, cauta sit per Instrumentum publicum, servatis servandis, tractandum, cujus transsumptum in authenticà formà, ante Professionem, Monasterii Præfectæ tradatur; Et si constituentes, promissoresque, fuerint exteri, Instrumento celebrando accedat Fidejussor idoneus, qui in hac Diæcesi bona possideat, & habitet, solidalisque obligationis vinculo favore Novitiæ adstringatur.

Caveant Moniales ne fenestellà, pro ministranda, suscipiendàque Sac. Communione, vel Confessionibus excipiendis, abutantur ad colloquia, neve cæteris, Nostro in Edicto diei 26. Januarii 1726. præscriptis, contraveniant, secùs inobservantiam, comminatis in eo pęnis, vindicabimus.

Duæ saltem Moniales magis aptę, & instructę deputentur, quę singulis diebus Festis, Conversas, puellasque educandas Doctrinam Christianam

sedulò

ſedulò edoceant, quod quidem in aliquibus Monaſteriis non præſtari, vel ſegniter fieri, Nobis conſtitit.

Quæcumque Beneficiatis, & Capellanis onere Miſſarum in Eccleſià Monialium celebrandarum adſtrictis, præcepimus obſervanda in Edicto Noſtro edito ſexta Maii 1721. iterùm confirmamus, & omninò ſervari volumus.

Monaſterii redditus accuratè, fideliterque adminiſtrentur, & ſingulo trimeſtri, in Capitulo datum referatur, & acceptum; Nobis verò, vel cui per Nos fuerit demandatum, ſingulis annis, geſtæ adminiſtrationis ratio diſtincta reddatur; Quod idem a Monialibus ipſis Regularium regimini ſubjectis præſtandum eſſe decernimus, ſicuti alias Sac. Congregatio Concilii, inherendo Conſtitutioni San. Mem. Gregorii XV. quæ incipit *Inſcrutabili* pluries declaravit.

Scribæ, ſeù Cancellariæ ſemper alia detur Monialis in Sociam, & Subſtitutam, quæ illi præſto ſit, & de ſtatu æconomico Monaſterii reddatur inſtructa, quo fiet, ut tempore mutationis Offitialium, aliæ Moniales, ad ipſum munus obeundum, habiles, atque idoneæ minimè deſiderentur.

Converſæ omnes rei communi, dependenter

a Præfecta Monasterii, inserviant, nec ullius privato commodo, & servitio concedantur, & si quæ fuit addicta, ad Offitia communia revocetur; quod si aliqua Monialis, propter ætatem, vel malam valetudinem, particulari indiguerit assistentià, Superiorissæ curà sit, unam, pluresque Conversas, prout opus esse cognoverit, assignare, revocabiles tamèn ad nutum; Et ex industria aliam, vel alias ex Conversis ad tempus substituat, & substituere studeat, sicque cujuslibet necessitati sit opportunè, & charitativè consultum, remotà tamèn, & abrogatà quacumque diversà consuetudine, quæ potiùs corruptela dicenda est.

Ianitrices, Sacristiæ offitio Præfectæ, Comitatrices, ad associandos Laicos de licentià Nostrà clausuram ingredientes, Assistentes ad locum Confessionum, & quæ Foresterariæ etiàm dicuntur, quadraginta annos natæ sint, nec ætate minores eligantur sine Nostro speciali assensu; quà de re in schedulà Offitialium, suo tempore, ad Nos, vel Vicarium nostrum, pro Monialibus deputatum, mittendà, fideliter singularum ætas exprimatur.

Non ex admissione Puellarum, ad habitum Religionis assumendum, sed ex Professionis emissione, prioritatem esse sumendam, Synodi Camporeæ

poreæ Decreto inhærentes, declaramus,

Confeſſarii Ordinarii, vel Extraordinarii, etiam Regulares, ne præſumant alloqui Moniales, extrà ocaſiones ſuum exercendi munus, ſecùs Cenſuris, quas Apoſtolicæ ſanctiones pluries propoſuere, ſubjaceant.

Anteceſſorum Noſtrorum Sanctiones, Conciliis Provincialibus innixas, innovamus, ut cum primùm ſuffragiis Capituli fuerit aliqua puella recepta, ſtatim veſtium omnium delicias, inanemque ornatum deponat, nigròque, vel fuſco veſtitu, aut albi, ſeù violacei coloris, non tamen ex ſerico induatur, ſicque etiàm ex habitu, eam mundo renuntiaſſe dignoſcatur, eodemque veſtitu ſemper utatur, donec tempus ingreſſus advenerit; tuncque a conjunctis intimis mulieribus, abſque pompà, nulloque alio comitatu deducatur; quæ omnia, & alia ſuperindè præſcripta ut fuſius innoteſcant, memorati Prædeceſſoris Noſtri Ludovici Septalæ literas, hac de re cujuſlibet Monaſterii Præfectæ exaratas, menſe Aprili 1690. in appendice hujus Synodi referri mandamus.

De Fabricà, & Suppelectile Ecclesiasticà.

Disertissimas habemus, in actis Ecclesiæ Mediolanensis, Instructiones Fabricæ, & Suppelectilis Ecclesiasticæ, jussu S. M. Caroli Cardinalis Borromæi Archiepiscopi, ad usum Provinciæ Mediolanensis olim editas, quibus inhærendo, prælaudatus Noster Prædecessor Cæsar Specianus in sua primà Synodo Cremonensi nonnulla proponere, indicare, describere, & distinctim explicare curavit, qualitate, & formà accuratè expressis, ut quilibet ob oculos haberet, quæ ad usum, & ornatum Ecclesiarum paranda, quàve ratione essent conficienda: Nihilominùs Visitationem, hac in Urbe, & Diœcesi, peragentes, quamplura vel desiderari, vel præscriptæ formæ non respondere deteximus; Ut singulis ideò, quos præsentes habuimus, defectibus consultum remaneat, & omnia, sicuti esse convenit, extruantur, reconcinnentur, efficianturve, decernimus, & statuimus.

Ne in muro Altaris ullum sit foramen, neque pro urceolis asservandis, quorum fenestella in Capellę pariete sinistro, altè a solo cubitis duobus, extructa esse debet.

Altare

Altare portatile, quod eſt lapis ſacratus, longè untias viginti, latè verò ſexdecim pateat; præter capſæ ligneæ dimenſionem, Sacrarumque Reliquiarum ſepulchriolum ſit bene ſigillatum, & lapis totus telà ceratà tegatur; Si verò menſa Altaris integrè conſecrata eſt, totam quoque ceratã telã, incluſã telari, & claviculis confixã cooperiat, menſę autem non conſecratæ ſuper addatur tabula lignea, in cujus, ac menſæ ejuſdem medio lapis ſacer, cum capſulà ita inſeratur, ut tamen paululum promineat, tactuque a Celebrante diſtingui poſſit. Ejuſdem lapidis longitudo non ab uno ad alterum cornu Altaris ducatur, ſed poſteriorem ſpectet in partem, & a fronte parùm diſtet.

Altare quodlibet, cum fores Eccleſiæ patent, ſit decenter ornatum, habeatque telam viridem, quà, peracto ſacro, ſternatur, ne mappæ pulvere, aliàve ſorde coinquinentur.

Baptiſmalis aquæ vaſis, quæ licèt ex marmore, aliove ſolido lapide confecta, nihilominùs rimoſa, ſeù bibula ſint, ſtatim vas aliud interiùs apponatur, ſivè ſtamneum, ſive æreum ſtamnatum, & ne inde effluat aqua, ſenſimque diſperdatur, congruè aptetur, aptatumque retineatur, donec aliud marmoreum, lapideumve, & omni carens defectu comparetur.

Cibo-

Ciboria, quibus aquæ Baptismalis vasa conteguntur, & quæ cariosa, vetustateque indecentia, vel adeò sint humilia, & angusta, ut parvulum armarium asservandis sacris oleis, aliisque rebus ad Baptismi ministrationem necessariis aptum, & sufficiens capere nequeant, quamprimum renoventur, & ad instar pyramidis eleganter excitata, & confecta, ejus sint amplitudinis, ut ibi congruum extrui possit armariolum, intrinsecùs ex telà sericà coloris albi circumvestiendum.

Si concameratam extra Capellam, aut parietis concavitatem est collocatum Baptisterium, tegmen, ex telà saltem decenter pictà, pensile apponatur; & eadem sit lex, ubi Capellæ fornix ità altè extructus reperiatur, ut commodè, sæpiusque a pulvere purgari, labentique sorde deffendi nequeat: conopæo ex serico, vel subserico coloris albi, qui Baptismatis Mysterio respondet, ciborium totum contegatur.

Superius integumentum sepulcrorum ori appositum sit integrum ex marmore, vel lapide solido, & solo æquale, & ita bene sigillatum remaneat, ne unquam malus odor exire possit; quod si alitèr est, ii ad quos spectat, brevi termino per Ecclesiæ Rectorem præfigendo, ità præstare curent, secùs sepulchra ipsa humo repleantur, & adæquato solo, nullus amplius in illis sepeliatur.

In

In ædificandis ſepulchris ea ratio ſervetur, ut oſtium duplici petrà, untiis octo inter ſe diſtante, obſtruatur, & humus petram inter utramque ponatur, ſicque tutior a fœtore reddatur Eccleſia.

Confeſſionalium feneſtellæ laminas habeant minutis foraminibus adinſtar ciceris, replenas: Tabulis quoq; inter Confeſſarium, & Pœnitentem interjectis, Literæ Proceſſus in Cœna Domini, & Tabella Caſuum Reſervatorum a parte Confeſſarii affigantur, a parte verò Pœnitentis aliqua ſacra Imago apponatur; Quæ demum Confeſſionalia ex vetuſtate confracta ſunt, vel indecentià, ſtatim aptentur, renoventurque, & interim, ac donec prædicta fuerint præſtita; Confeſſionalium eorumdem uſum Parochis, & Confeſſariis quibuſque omninò vetamus, & extra Eccleſiam ferri mandamus, ſub pœnà Nobis arbitrarià.

Cœmeteria, quæ ab Eccleſiis disjuncta ſunt, benè clauſa cuſtodiantur, muroque, vel alias tutè, & undique ſepiantur; idemque fiat, ſi in ambitu exteriori conſtituta ſunt, aperto tamen, & libero, ad uſum acceſſus, & receſſus, ſpatio relicto; in quo ferrea crates, vel opus conſimile ex ligno confectum apponatur, ad impediendum belluis ingreſſum: Et ita termino trimeſtris, poſt

harum

harum Conſtitutionum editionem, præſtari jubemus; ſecùs Cœmeteria ipſa tamdiù interdicta declarabimus, quoad Nobis id omninò præſtitum fuiſſe conſtiterit. Feſto die inter Miſſarum Solemnia quiſque Parocus Populum ſuum, & alios etiam, quos expedire cognoverit, de hoc Noſtro Decreto certiores faciat, ut omnis tollatur excuſatio.

Labellum, cum manutergio proximè appenſo; Armarium, ad paramenta aſſervanda; Oratorium diſtincto, & ſeparato loco poſitum, vel ſaltèm ſcabellum ligneum pro genuflexorio aptè accomodatum, cum aliquà ſacrà imagine ob oculos poſità, tabellàq; orationum, a Sacerdote tam ante, quam poſt Miſſam dicendarum; liber pro Miſſis notandis; & demum tabella palàm expoſità, qua onera Miſſarum, & Anniverſariorum indicentur; In Sacriſtia cujuslibet Eccleſiæ, præcæteris, ne unquam deſint.

Sacrarium ſit ad præſcriptum Inſtructionis, vel in Capellà Majori, vel in Sacriſtià, aut propè: Et in Parochialibus, aliud etiam in loco ubi ſitum eſt Baptiſterium, ſi comode ibi fieri poteſt, ſin minus, parùm diſtans extruatur.

Quilibet amictus, longè a ſuperiori extremitate digitis duobus tranſverſis, habeat in medio crucem unciarum duarum acupictam.

Cor-

Corporale tàm longè, quàm latè pateat uncias triginti ad minùs, & in anterioris partis medio, parum diſtans ab extremitate; Crux pariter acus opere affigatur.

Purificatorium ſit latitudine unciarum octodecim ad minus, & totidem longitudine, parvula cruce in medio aſſutà, lacerenturque, & flammis tradantur ea fruſtula telæ, quæ pluribus in Eccleſiis ad eundem uſum adhibentur.

Totam menſam contegant Altaris mappæ, & ſuperior ab utroque latere etiam defluat.

Calicis velum ab omni parte cubito, & unciis duodecim latè pateat.

Tabernaculi lunula, in qua SS. Euchariſtia inſeritur, ſaltem ex argento inaurato conſtet, & ejuſmodi ſit, ut dividi, commodeque aperiri poſſit, ad colligenda fragmenta, ſi qua fortè ibidem remaneant.

Cuſtodiæ clavicula argentea ſit, vel ſaltem argento, aut auro bene linita, non autem rudis; ejuſdemque cuſtodiæ oſtiolum ab exteriori parte ſit ornatum Sacra Chriſti Domini Crucifixi, aut Reſurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis imagine, aut alia pia effigie.

De Cathedratico.

IN argumentum ſubjectionis, & honoris, ſine quibus poteſtas nulla ſubſiſtere valet, tributa præſtantur; Hujus itaque Cathedralis Eccleſiæ dignitatem, & jura pro viribus tueri, & conſervare cupientes, quicquid titulo Cenſus, ſeù Cathedratici (quod Synodaticum etiam nuncupatur) ſivè de jure, & ex diſpoſitione quarumcumque Conſtitutionum, ſivè ex Conſuetudine, in ſignum ſubjectionis, Epiſcopatui Noſtro ſolvendum eſt, præſtandumve, ab univerſis, & ſingulis, ad quos ſpectat, pro præterito ſine morà perſolvi, debitoque tempore in futurum præſtari volumus, atque mandamus. Moroſos verò, & contumaces comminatis a jure pœnis ad id compelli jubemus, quacumque excuſatione, vel contradictione rejectà.

De

De Funeribus, & Anniversariis.

UT in Exequiis peragendis, Anniversariisque persolvendis, ad orandum pro Defunctis nedùm, ast & ad mortis meditationem incitentur adstantes, non cursim, præcipitanterque, sed devotè, graviter, atque distinctè recitentur, cananturque ab Ecclesiasticis Psalmi, preces, & ea omnia, quæ recitanda, canendave sunt, sicque Populo sint etiam in ædificationem, & exemplum.

Servetur in his omnibus Rituale Romanum, nilve celeritatis gratià, seù negligentiæ, abususve causà ommittatur, cum illa psalmorum, aut precum mutilatio, sivè abbreviatio, vel præceps recitatio, irreligiosi animi, & rubricarum neglectus argumentum præseferant: Psalmos itaque, Orationes, laudes, piasque preces omnes, quæ concelebrandis in Anniversariis, vel Funeribus obeundis, recitandæ sunt, integrè recitari mandamus, & ita omnibus in Ecclesiis, in ipsaque Nostrà Cathedrali, a qua cæteræ Ecclesiæ sumunt exemplum, & regulam, servari intendimus, præcipimusque, abrogatà præsertim consuetudine, laudes post nocturnum ommittendi, quæ minimè

præ-

prætermitti debent, etiàm si litaniæ canantur cum precibus, salvis tamen semper piis Testatorum dispositionibus, quæ Sacris Ritibus, Sacræque Congregationis Decretis non adversantur.

Sacerdotes, & Clericos, qui in Divinis illimet Ecclesiæ, in qua Funera, & Anniversaria agenda sunt, actu inserviunt, cæteris aliis præferri, & primò invitari mandamus.

Quilibet habitu talari, decentique, ac superpelliceo mundo indutus, cumque byreto interveniat, & assistat, nec discedat, aut cereos restinguat prius omnibus, & integrè non absolutis; nec anteà, minusvè in Ecclesià, Cœmeterio, aut vià, seu Populo spectante, eleemosyna Clero distribuenda tradatur.

Qui verò habitu indecenti, vel incongruo, aut sinè superpelliceo, & byreto, vel cum pileo, aut baculum, sivè virgam præmanibus gestando, ausus fuerit intervenire, eleemosynà privetur, pœnamque suspensionis a Divinis, & alias arbitrio Nostro infligendas incurrat; & qui Parochi tacitè id admiserint, permiserintque, graviter puniantur.

Cadaverum sepultura, prætensæ quartæ funeralis, vel alterius eleemosinæ causà, ne differatur, nec antea, ad extradenda pignora, compellantur Hæredes, sed opere pio peracto, si qui satisfa-

cere

cere renuerint, promptioribus juris remediis, ad instantiam Parocorum coarctentur: Quibus tamen mortuis, aut nihil, aut ita parum superest, ut suis expensis humari nequeant, gratis exequias fieri mandamus.

Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, & alii quicumque, ad quos cura hujusmodi spectat, ne suis in Ecclesiis, sive Cæmeteriis, sive aliis quibuscumque locis admittant Cadavera defunctorum, quæ eò deferantur, vel Rhædà, vel aliter, sine Cruce, sine luminibus, sine proprio Paroço, & non dato, de more, campanæ signo, ne vetus Ecclesiæ institutum, mortuorum funus, piis precibus, & Offitiis, solemni, religiosoque ritu, persolvendi auaritia, ambitione, aut prætextu quolibet, depravatum remaneat.

Constitutionem Apostolicam, de Quartà Funerali Parochis persolvendà, quarto kalendas Maii, anno proximè effluxo, editam, & in Appendice hujus Synodi inserendam, observari omninò mandamus.

Non modò absurdum, sed iniquum est, minores majoribus præferre: nullibi itaque liceat majores cereos Rectoribus Confraternitatum, quàm Parochis, vel Confratribus, quàm Sacerdotibus, aliisque Clericis, & Ecclesiasticis personis distribuere, & tradere.

Ut in Ecclesià sua titulari, pro Infantibus, qui baptizati decedunt, sepulcrum a cæteris distinctum extruatur, quilibet Parocus sollicitè curet, & agat cum quibus agendum esse cognoverit, sicuti distinctum illud etiàm pro Sacerdotibus, & Clericis esse jubemus.

Si qui Infantes a Parentibus extra Parochiam propriam ad nutriendum traditi decesserint, illorum Cadavera ad Parocum sub quo Parentes domicilium habent, omninò spectare decernimus, & ita de cæteris rationem veri, & proprii domicilii semper habendam esse declaramus, non autem accidentalis in illa Parochia, sub quà decedunt, sicque Cadavera spectare ad Parocum, sub quo stabile domicilium habeant defuncti, salvà tamen sepulturæ electione, quam morientes legitimè fecerint: Et ut dissidia tollantur in iis, quæ olim pacificè agebantur, ad efferendum Cadaver, funusque ducendum, Parocus, ad quem ex præmissis spectare dignoscitur, ne priùs accedat, quam Ecclesiæ Rectore, sub quo Cadaver existit, præmonito, quem solo transitus emolumento contentum esse volumus; Quod si ita præmonitus Parochiale offitium, in efferendo Cadavere, per se obire voluerit, Paretiæ suæ limites, in comitando funere,

nere, ne dum non excedat, ſed immò emolumentum nullum prætendere valeat.

De Eleemoſynis.

NE ullà in Eccleſià, ſeu Oratorio, ad colligendas eleemoſynas collocentur capſulæ, exponanturque, aut collocatæ impoſterùm permittantur, ſine Noſtro, aut Vicarii Noſtri Generalis conceſſu, literis exarato, tuncque etiàm, non niſi ſingulis capſulis binæ claves, opere fabrili diſſimiles appoſitæ fuerint, quarum altera a Paroco, alia verò ab iis, quorum nomine colligendæ ſunt eleemoſinæ, retineantur; quod idem in Synodo primà Specianà tit. *quæ ad Eccleſias* ſancitum fuit.

Beneficio illius Eccleſiæ, Scholæ, Altaris, vel alius tituli, quorum gratià, & contemplatione, de Noſtri licentià, colligentur, vel aliter offerentur eleemoſynæ, integrè cedant, & acquirantur; nec a Paroco, aut alia perſonà ſubtrahantur, vel in cauſam diverſam, niſi a Nobis permiſſum, ordinatumque fuerit, convertantur: Ipſæ tamen eleemoſynæ diſtinctim in librum referantur, ut ratio de iis ſemper exigi, & haberi poſſit, tollaturque omni tempore cujuslibet fraudis ſuſpicio.

Nemini liceat, nomine Sodalitatum, vel alicujus Scholæ, aut Ecclesiæ, seu Altaris, palàm, & publicè eleemosynas quæritare, sine Nostro speciali permissu, scriptis exarato; & qui facultatem hujusmodi obtinuerint, de eleemosynis collectis, proprio Paroco, seù cui fuerit a Nobis commissum, rationem reddere teneantur.

Quos in commendandis, colligendis, distribuendisque eleemosynis, comperiit abusus, peculiaribus Decretis, & Ordinibus evellere curavit San. Mem. Gregorius Papa XIV., tunc cum, ante suam ad Apicem Apostolatus, assumptionem, huic Ecclesiæ Cremonensi præsideret; verùm iterùm irrepsisse intelligens, post quam ad Pontificiæ supremæ dignitatis fastigium fuerat evectus, literis suis, diei 30. Augusti 1591. Cæsari Speciano tunc, Episc. Cremonensi exaratis, apertè mandavit, ut a Verbi Dei Concionatoribus, etiàm Regularibus, & quantumvis exemptis, nec non cæteris quibusque inter Prędicationes, & Missas, illi tantum pro eleemosynis commendarentur, quos Episcopus, vel ejus in Spiritualibus Vicarius Generalis, commendandos jussisset, ipsiusque arbitrio, & nutu conservarentur, atque distribuerentur eleemosynæ, suspensionis poenà, & aliis contra inobedientes

com-

comminatis. Id ipsum consimilibus literis subdatumdiei 30. Octobris 1598. Confirmavit Clemens Papa VIII., ampliori concessa facultate procedendi contra omnes, qui prætextu exemptionis ab ordinaria jurisdictione contravenire præsumpsissent: Mandata hæc Apostolica, quæ Prædecessores Nostri inviolata voluerunt, Nosque pro viribus observari intendimus, a nonnullis aliquando contemni intelleximus; Monitos propterea facimus omnes, ad quos spectat, ne sinè Nostro, seù Vicarii Nostri Generalis assensu scriptis exarato, quosquam audeant, contra formam literarum prædictarum, commendare, pro eleemosynis habendis, colligendisque, minusvè eleemosynas ipsas, quæ ex permissu colligenter, retinere, aut propria aucthoritate distribuere, secùs contra inobedientes, excusatione quacumque rejecta, ad comminatas in literis præfatis censuras, & pœnas procedemus.

Quæstuandi tempus in licentiis, quæ aliquandò a Nobis, vel Vicario Nostro Gener. conceduntur, expressum, a die datę facultatis esse computandum, & limitatè intelligendum declaramus, adeò ut, semel eo expirato, & transacto, cesset facultas ipsa, & pro irrità habeatur. Ad hoc advertant Vicarii Foranei, & Parochi in Dięcesi, nec aliter permittant, rejęcta ea futili, qua nonnulli hallucinabantur,

interpretatione, quod nempè tempus præfatum pro quolibet Vicariatu, & loco Diœcesis concedatur, & pro concesso haberi debeat.

Si qui Regulares Monasteriorum alienæ Diœcesis, sine permissu Nostro scriptis exarato, quæritare æleemosynas præsumpserint, nullo pacto Vicarii Foranei, ac Parochi id patiantur, ne cæteris Religionibus Mendicantibus in hac nostrà Diœcesi degentibus, aliisque pauperibus, præjuditium ab exteris inferatur.

De Sodalitiis.

INstituti sui Regulas Confratres cujusque piæ Sodalitatis observare studeant, & munus, si quod gerunt, religiosè fideliter, & quàm diligentissimè implere curent: Saltem in anno, Congregatis Confratribus Regulæ ipsæ legantur, & ità instent Parochi, pioque hortatu commendent. Qui ex Confratribus satis debito suo facere neglexerint, seriò a Parochis moneantur, corripianturque, & si, spretis monitionibus, resipicere noluerint, emendarique nullà ratione potuerint; eoque magis si Conciliaribus, Synodalibusque Decretis contravenire ausi fuerint, Censuris Ecclesiasticis coerceri, vel Sodalitates ipsas supprimi, extinguique mandamus.

Offi-

Offitium a Confratribus recitari solitum festo die, submissâ voce legatur, in illis præcipuè Oratoriis, quæ Parochiali Ecclesiæ contigua sunt, ne Parochi in exercitio sui muneris, aliique Christi fideles, adeuntes Ecclesiam, distrahantur, perturbenturve. Vesperas quoque in singulis Oratoriis celebrari eo tempore vetamus, quo in Parochiali dicuntur, vel docentur fideles Doctrinam Christianam; quod idem Decretis Provincialibus cautum est.

Quæcumque alia de Disciplinatorum Scholis, & quibuslibet Confratriis constituta sunt, aut præscripta, ab omnibus, & singulis Confratribus inviolatè servari præcipimus, etiàm si Scholæ ipsæ, seù Confraternitates in Ecclesiis Regularium erectæ sint, quas pari quoque modo puniri decrevit Concilium Provinciale V., si contraveniant.

Statà horà ad Cathedralem in Civitate, & ad Matricem Ecclesiam in Diœcesi, Sodalitates, quæ Processionibus intervenire tenentur, diligenter accedant, ne serò venientes, & per vicos, ac plateas percurrendo, Processionis cursum perturbent, retardentve, secus pœnæ arbitrario Nostro imponendæ subjaceant; Et ne ex alienà culpà, & negligentià Processionum ordo, & continuatus incessus interrumpatur, Sodalitates, quæ serò accesserint, in primam Ecclesiam, ubi Processio si-

 stere

ſtere debet, conveniant, ut ibi ſuo loco cæteris jungi poſſint, nec aliter Præfectus, vel ſubſtituti ejuſdem permittant.

Qui, per atteſtationem proprii Parochi, honeſtatis, probitatiſque ſuæ ſpecimen non exhibuerit, ne in Confratrem, minuſve, ad habitum ſuſcipiendum admittatur.

De Legatis Piis.

INnumera intelleximus eſſe legata pia, quæ ab Hæredibus, cæteriſque obligatis minimè præſtantur, nilve Parocorum, & aliorum, ad quos ſpectat, inſtantias, & monita ſalutaria profuiſſe, ut ſatis debito ſuo faciant, quinimmò requiſitos, ne dùm detrectaſſe, ſed ſubdolis artibus Ordinarii judicium effugere ſtuduiſſe; Et quia nil ab humanà Criſtianàque pietate, & fide magis alienum eſt, quàm pias defunctorum diſpoſitiones debitæ executionis effectu fraudare, aut implementum diutiùs differre, Decretis eà de re, in Synodo Camporeà emanatis inhærentes, pęnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto, incurrendam proponimus iis, qui piorum legatorum executionem ultra biennium diſtulerint, firmis nihilominùs alii pœnis manentibus, contra debitores hujuſmodi comminatis.

Decre-

Decretum hoc, bis ſaltem quot annis, inter Miſſarum ſolemnia Parochi populo ſuo promulgent.

De Foro.

VIcarii Noſtri Generalis cura ſit invigilare, & seriò agere, ut ab omnibus, & ſingulis Curiæ Noſtræ Miniſtris executioni demandentur ordines, quos die 17. Januarii 1719. edidimus, & in Offitio Cancellariæ exponi, affigique juſſimus, cum Paſtoralis Noſtræ ſollicitudinis minor pars nequaquam ſit, ut illi vitæ honeſtate, & ſingulari integritate cæteris Eccleſiaſticis præluceant, muneris ſui vices diligenter impleant, ab omni avaritiæ labe, ſuſpitioneque ſint immunes, & fideliter, inviolatèque taxas obſervent; Si qui verò de inobedientià, & ſpretu convicti fuerint, ſuſpenſionis ad tempus ab offitio, & etiam perpetuæ excluſionis pęnis, aliiſque gravioribus Noſtro arbitratu irrogandis, ſe obnoxios fore noverint.

Ne calumnioſis accuſationibus Clerici graventur, ac indebitè vexentur, utque eorum indemnitati, quantum fieri poteſt, conſultum remaneat, Vicario Generali, Advocato Fiſcali, rerumque Criminalium Curiæ Noſtræ Notario injungimus eam ſervare legem, quam ſæpedictus Cęſar Spe-

cianus

Specianus Prędecessor Noster in suà primà Synodo Cremonensi, & in ultimis duobus paragraphis tit. *de spectantibus ad Forum Episcopale* indixit, sub hisce verbis.

Si Clericus accusatus a Laico petat Laicum cogi ad fidejubendum, cogatur accusator præstare saltem juratoriam cautionem, ubi fidejussores non reperiat, alias contra Clericum non procedatur, nisi propriam injuriam Criminaliter, vel Civiliter prosequatur.

Illi autem, qui accusant Clericos de rebus publicis, velut de concubinatu, aut commertio inhonesto, negligentià in administrandis Sacramentis, avaritià, & de aliis hujus generis, non audiantur omninò sine aliquà cautione, nisi essent personæ graves, & talis vitæ, quibus meritò fides adhibenda sit, & constet eas ex zelo moveri ad accusandum, vel denuntiandum.

Monitoriales literæ ad finem revelationis, pro deperditis, subtractisve rebus, nemini concedantur, nisi, qui ob eam causam, supplicem libellum Nobis obtulerit, illiusque tantùm precibus, cujus civiliter interest; Et illis in concedendis, evulgandisque, serventur conditiones Concilio quarto Provinciali præscriptæ.

De Conſtitutionibus.

UBi in hiſce Conſtitutionibus nulla pœna reperitur appoſita, ſemper ea intelligatur expræſſa, quam Provincialia Concilia, vel Synodi hujus Diœceſis propoſuerint, ipſarumque Conſtitutionum declarationem, interpretationemque Nobis, & Succeſſoribus Noſtris reſervamus.

Veſtigia Prædeceſſorum Noſtrorum ſequentes præcipimus omnibus, & ſingulis Parochis, Sacerdotibus, Clericis, & aliis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis Juriſdictioni Noſtræ ſubjectis, ut haſce Conſtitutiones, poſtquam fuerint impreſſæ, & venales expoſitæ, apud ſe habeant ſub aureorum duorum pœnà, locis & uſibus piis per Nos applicandà; Et ad fraudibus occurrendum, volumus, & mandamus, ut in ipſarum, quas emerit, Conſtitutionum fronte ſuum quiſque nomen inſcribat, ſecùs juſta ſuſpicandi contra exhibentem cauſa habeatur.

Quæcumque a Prædeceſſoribus Noſtris, & a Nobis propoſita edicta, & mandata, nec non ſuperiores Synodos, in iis omnibus, quæ hiſce Noſtris Conſtitutionibus non adverſantur, obſervari intendimus, præcipimuſque: Salvà tamen ſemper S. R. E. ſupremà aucthoritate, cui Nos, & omnia

in

in hac Synodo ſtatuta, quà debemus obedientià, & humili reverentià, ſubiicimus.

Cum demùm a nonnullis timoratæ conſcientiæ viris relatum Nobis fuerit, gravia, in animarum perniciem, pericula oriri ex pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Cenſuris, quas conſtituimus ipſo facto incurrendas, per Clericos varia crimina committentes, & quibuſdam mandatis Noſtris obſequi detrectantes; exemplum propterea Prædeceſſorum Noſtrorum in hac etiam ſequi volentes, declaramus, Edicta, & Decreta quæcumque Noſtra, ſeù de mandato Noſtro hactenus promulgata ſub cenſuris ipſo facto incurrendis, eſſe imposterùm obſervanda ſub eiſdem dumtaxat pœnis, ut ferendis, adeò ut nemo eà de causà excommunicatus, ſuſpenſus, vel aliis cenſuris irretitus cenſeatur, contra quem prius ſententia non fuerit prolata, ſalvis tamen, & exceptis caſibus, quibus ſine Veſte talari quis celebraverit, vel cum larvà incedere, aut in Tabernis palàm, & publicè ludere auſus fuerit, nam contra hujuſmodi Reos, pęnas jam conſtitutas moderari minimè intendimus.

Offi-

OFFICIALIUM

In hac Synodo deputatorum Nomina, & munera.

JUDICES SYNODALES VETERES.

Gaſpar Bertanus Canonicus Theſaurarius J. U. D.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.

JUDICES SYNODALES NOVI.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. J. U. D.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſitus J. U. D.
Joannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & J. U. D.
Franciſcus Marìa Maloſſus Canonicus J. U. D.
Joannes Baptiſta Cattaneus Canonicus J. U. D.
Benedictus Cambiagus Canonicus J. U. D. Colleg.
Ludovicus Biffi Canonicus J. U. D.
Cæſar de Nigris Præpoſitus S. Homoboni S. T. D.

EXAMINATORES SYNODALES VETERES.

Gaſpar Bertanus Canonicus Theſaurarius J. U. D.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.

Joan-

Joannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & J. U. D.
Cæſar de Nigris Præpoſitus S. Homoboni S. T. D.

EXAMINATORES NOVI.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. J. U. D.
Franciſcus Marìa Maloſſus Canonicus J. U. D.
Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnitentiarius S. T. D.
Benedictus Cambiagus Canonicus J. U. D. Colleg.
Joannes Baptiſta Raparius Canonicus S. T. D.
Joſeph Saccus Præpoſitus S. Clementis.
Joannes Baptiſta Monti Præpoſitus S Helenæ.
Joſeph Migliavacca Præpoſitus S. Matthiæ.
Joſeph Madonus Præpoſitus SS. Fuſtini, & Jovitæ.
Carolus Rubinus Præpoſitus S. Andreæ S. T. D.
Fælix Vachellus Præpoſitus SS. Nazarii, & Celſi.
Roccus Gamberinus Præpoſitus S. Nicolai.
Laurentius Germanus Præsb. S. Apollinaris.
Alexander Baranzoni Archipr. Bozuli S. T. D.
Nicolaus Buſi Archipr. Caſalis Majoris S. T. & Phyloſophiæ D.
Angelus Buratti Præpoſitus S. Leonardi Caſalis Majoris.
Joannes Baptiſta Romanenghi Archipr. Caſalis Buttani S. T. D.

Bar-

Bartholomæus Telò Præpositus Sorexinæ S. T. D.
Joannes Baptista Pedroni Præpositus Gablonetæ S. T. D.
Antonius Fęlix Cardanus S. T. D.
Joseph Zaist S. T. D.
Franciscus Barili V. Rector Seminarii S. T. D.
Ioannes Baptista Covi S. T. D.
Ioseph Petrus Martyr Tadisi Prępositus S. Prosperi.

PRO MONIALIBVS.

Franciscus Marìa Malossus Canonicus I. U. D. & Vicarius Monialium.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.
Carolus Bonettus Canonicus.
Joannes Baptista Raparius Canonicus S. T. D.
Paulus Datus.

PROCVRATORES CLERI CIVITATIS.

Petrus Franciscus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpos. I. U. D.
Ioannes Baptista Fraganescus Canonicus.
Franciscus Marìa Malossus Canonicus I. U. D.
Carolus Bonettus Canonicus.
Ioannes Baptista Raparius Canonicus S. T. D.

Alexan-

Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Antonius Marìa Madoni Canonicus S. Homoboni.
Franciſcus Arquati Præpoſitus S. Matthæi.
Michael Angelus Colenghi Præpoſit. S. Michaelis.
Ioannes Baptiſta Cavutius.
Paulus Porri.
Valentinus Cerioli I. U. D.
Carolus Paſqua I. U. D.

PROCURATORES CLERI FORENSIS.

Dominicus Hyacintus Breſſiani Præpoſ. Sablonetę.
Thomas Grandi Archipr. Plebis Guratæ.
Ferrantes Paccini Præpoſitus Gazzoli.
Franciſcus Marìa Secchi Archipr. Calcii.
Ioannes Baptiſta Romanenghi Archipr. Caſalis Buttani S. T. D.
Hieronymus Bonanommi Archipr. Vitellianæ.

PRO RITIBUS, ET CÆREMONIIS.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Gaſpar Bertanus Canonicus Theſaurarius I. U. D.
Carolus Franciſcus Lampugnanus Canon. Cimiliar.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.
Ioannes Carolus Sforzoſius Canonicus.

Ioan-

Ioannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & I. U. D.
Antonius Marìa Sozzi Canonicus.
Michael Angelus Cerri Canonicus Pœnit. S. T. D.
Araldus de Araldis Canonicus.
Franciſcus Picenardus Canonicus.
Cæſar de Nigris Præpoſit. S. Homoboni S. T. D.
Ioſeph Pelizzarius Cæremoniarum Magiſter.
Petrus Antonius Golzi Canonicus S. Homoboni.
Ioſeph Saccus Præpoſit. S. Clementis.
Carolus Rubini Præpoſit. S. Andreæ S. T. D.
Damaſus Rizzolius S. T. D.
Petrus Martyr Zucchus S. T. D.

PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Joannes Baptiſta Ferrarius Canonicus Decanus.
Gaſpar Bertanus Canonicus Theſaurarius I. U. D.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.
Ioannes Carolus Sforzoſius Canonicus.
Ioannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & I. U. D.
Antonius Marìa Sozzi Canonicus.
Folchinus Schitius Canonicus.
Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnit. S. T. D.

Ioan-

Joannes Baptiſta Raparius Canonicus S. T. D.
Bartholomæus Bettoleus Canonicus I. U. D.
Franciſcus Picenardus Canonicus.
Franciſcus Biſonus Præpoſit. S. Leonardi.
Ioannes Baptiſta Monti Præpoſit. S. Helenæ.
Ioannes Gregorius Ramella Præpoſit. S. Ceciliæ.
Fęlix Vacchellus Præpoſit. SS. Nazarii, & Celſi.
Laurentius Germanus Præpoſit. S. Apollinaris.
Petrus Raparius Seminarii Rector.
Hieronymus Vernatius.
Paulus Datus.

PRÆFECTI FABRICÆ ECCLESIASTICÆ.

Ioannes Baptiſta Ferrarius Canonicus Decanus.
Gaſpar Bertanus Canonicus Theſaurarius I. U. D.
Antonius Marìa Madonus Canon. S. Homoboni.
Petrus Martyr Zucchus S. T. D.
Hieronymus Vernatius.
Paulus Datus.

PRO CAVSIS CONSVLTANDIS.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſit. I. U. D.

Caro-

Carolus Bonettus Canonicus.
Benedictus Cambiagus Canonicus I. U. D. Colleg.
Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Ioannes Baptiſta Monti Præpoſitus S. Helenæ.
Valentinus Cerioli I. U. D.
Carolus Paſqua I. U. D.

REVISORES LIBRORUM IMPRIMENDORUM.

Ioannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & I. U. D.
Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnit. S. T. D.
Ioannes Baptiſta Raparius Canonicus S. T. D.
Carolus Rubini Præpoſitus S. Andreæ S. T. D.
Fœlix Vachellus Præpoſit. SS. Nazarii, & Celſi.
Laurentius Germanus Præpoſit. S. Apollinaris.
Damaſus Rizzolius S. T. D.
Fęlix Cardanus S. T. D.
Ioſeph Zaiſt S. T. D.
Franciſcus Barili V. Rector Seminarii S. T. D.

PRO CAUSIS PIIS.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Camillus Maynoldus Canonicus Cantor.

Ioannes Baptiſta Ferrarius Canonicus Decanus.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſitus I. U. D.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.
Ioannes Carolus Sforzoſius Canonicus.
Ioannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & I. U. D.
Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnit. S. T. D.
Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Franciſcus Arquati Præpoſitus S. Matthæi.
Ioſeph Saccus Præpoſitus S. Clementis.
Ioannes Baptiſta Monti Præpoſit. S. Helenæ.
Iacobus Ferrari Archipr. Sexti.
Petrus Raparius Seminarii Rector.

PRO SEMINARIO.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Gaſpar Bertanus I. U. D.
Ioannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & I. U. D.
Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnit. S. T. D.
Antonius Maria Madonus Canon. S. Homoboni.
Franciſcus Biſoni Præpoſitus S Leonardi.
Laurentius Germanus Præpoſitus S. Apollinaris.
Petrus Raparius Seminarii Rector.
Paulus Datus.

AD-

ADVOCATI PAVPERVM, ET CARCERATORVM.

Camillus Maynoldus Canonicus Cantor.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſit. J. U. D.
Alphonſus Sommi Canonicus Primicerius.
Nicolaus Madius Canonicus S T. D.
Ioannes Carolus Sforzoſius Canonicus.
Galeatius Crottus Canonicus.
Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Franciſcus Picenardus Canonicus.
Hieronymus Vernatius.
Paulus Datus.
Valentinus Ceriolus I. U. D.
Carolus Paſqua I. U. D.

PROMOTORES LEGATORVM PIORVM.

Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſit. S. T. D.
Benedictus Cambiagus Canonicus I. U. D. Colleg.
Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Franciſcus Picenardus Canonicus.
Valentinus Cerioli I. U. D.
Carolus Paſqua I. U. D.

VISI-

VISITATORES GENERALES.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. J. U. D.

Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.

Joannes Dominicus Zanebonus Canonicus Theol. S. T. & J. U. D.

Franciſcus Marìa Maloſſus Canonicus J. U. D.

Michael Angelus Cerrus Canonicus Pœnitentiarius S. T. D.

Joannes Baptiſta Cattaneus Canonicus J. U. D.

Cæſar de Nigris Præpoſitus S. Homoboni S. T. D.

Joannes Baptiſta Romanenghi Archipr. Caſalis Buttani S. T. D.

Nicolaus Buſius Archipr. Caſalis Majoris S. T. & Phyloſophiæ D.

Jacobus Ferrarius Archipresbyter Sexti.

Andreas Torri Theologus Caravagii S. T. D.

Hieronymus Bonanommi Archipresb. Vitellianæ.

PRÆFECTI ORATIONIS QUADRAGINTA HORARUM.

Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.

Carolus Bonettus Canonicus.

Alexander Manara Canonicus J. U. D.

PRÆFECTI CIVITATIS.

Petrus Franciſcus Gerenzanus Bonhomi Archipr. I. U. D.
Camillus Maynoldus Canonicus Cantor.
Carolus Bongioanni Canonicus Præpoſ. I. U. D.
Carolus Bonettus Canonicus.
Ioannes Baptiſta Raparius Canonicus S. T. D. Præfectus Clericorum.

CANCELLARII PRÆFECTORUM CIVITATIS.

Ioſeph Petrus Martyr Tadiſi Prępoſitus S. Profperi.
Carolus Rubinus Præpoſitus S. Andreæ S. T. D.
Joannes Gregorius Ramella Præpoſitus S. Cæciliæ.
Joſeph Madonus Præpoſitus SS. Fauſtini, & Jovitæ.

REVISORES SAC. RELIQUIARUM, ET INDULGENTIARUM.

Alphunſus Sommi Canonicus Primicerius.
Nicolaus Madius Canonicus S. T. D.
Antonius Marìa Sozzi Canonicus.
Michael Angelus Cerri Canonicus Pœnit. S. T. D.
Folchinus Schizzius Canonicus
Joannes Baptiſta Raparius Canonicus S. T. D.

Bar-

Bartholomæus Bettoleus Canonicus J. U. D.
Ludovicus Biffi Canonicus J. U. D.
Alexander Manara Canonicus I. U. D.
Araldus de Araldis Canonicus.
Franciſcus Picenardus Canonicus.
Ioannes Baptiſta Monti Præpoſit. S. Helenæ.

PERITI, ET ÆSTIMATORES BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Angelus Scazzola.
Paulus Dolara.
Ioannes Antonius Colenghi.
Ioannes Baptiſta Guarneri.
Antonius Coſta.
Nicolaus Carolus Duſius.
Carolus Maffus.
Stephanus Dilda.
Ioannes Baptiſta Storari.
Franciſcus Maroli Caſalis Majoris.

APPENDIX
AD
Synodum Cremonen.
HABITAM

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino

D. ALEXANDRO LITTA
EPISCOPO;

Anno 1727. exeunte mense
Aprili.

APPENDIX
AD
SYNODUM CREMONENSEM
HABITAM
Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino
D. ALEXANDRO LITTA
EPISCOPO;
Anno 1727. exeunte mense Aprili.

Prohibitio imprimendi libros absque examine, & approbatione Vicarii Papæ, & Magistri Sacri Palatii Apostolici in Urbe, & Episcoporum, hæreticæque pravitatis Inquisitorum in aliis locis.

LEO EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio.

INter sollicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti cura revolvimus, ut errantes, in viam veritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus, hoc est quod profectò desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulò destinamus affectum, ac circa illud studiosa diligentia vigilamus.

§. 1. Sanè licèt literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros, temporibus potissimum nostris, divino favente numine, inventa seu aucta & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cùm parva impensa, copia librorum maxima habeatur, quibus ingenia ad literarum studia percommodè exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere, præsertim autem Catholici, quibus

quibus Sanctam Romanam Eccleſiam abundare affectamus, facilè evadere poſſunt, qui etiam infideles ſciant, & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, fideliumque collegio per Doctrinam Chriſtianæ fidei ſalubriter aggregare. Quia tamen multorum querela noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ pulſavit auditum, quod nonnulli hujus artis imprimendi Magiſtri, in diverſis Mundi partibus libros, tam Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ linguarum in Latinum translatos, quàm alios Latino, ac vulgari ſermone editos, errores etiam in fide, ac pernicioſa dogmata etiam Religioni Chriſtianæ contraria, ac contra famam perſonarum, etiam dignitate fulgentium continentes imprimere, ac publicè vendere præſumunt, ex quorum lectura non ſolùm legentes non ædificantur, ſed in maximos potiùs, tam in fide quàm in vita, & moribus prolabuntur errores, unde varia ſæpè ſcandala (prout experientia rerum magiſtra docuit) exorta fuerunt, & majora in dies exoriri formidantur.

§. 2. Nos itaque ne id quod ad Dei gloriam, & fidei augmentum, ac bonorum artium propagationem, ſalubriter eſt inventum, in contrarium convertatur, ac Chriſti fidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cætero cum bonis ſeminibus ſpinæ coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, hoc ſacro approbante Concilio, ut negotium impreſſionis librorum hujuſmodi, eo proſperetur felicius, quo deinceps indago ſolertior diligentius, & cautius adhibetur. Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcumque ſcripturam, tam in Urbe noſtra, quàm aliis quibuſvis Civitatibus, & Diœceſibus imprimere, ſeu imprimi facere præſumat, niſi priùs in Urbe per Vicarium noſtrum, & Diœceſibus, per Epiſcopum, vel alium habentem peritiam ſcientiæ libri, ſeu ſcripturæ hujuſmodi imprimendæ, ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis Civitatis ſive Diœceſis, in quibus librorum impreſſio hujuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manus propriæ ſubſcriptionem, ſub excommunicationis ſententia, gratis, & ſine dilatione imponendam, approbentur.

§. 3. Qui autem ſecus præſumpſerit, ultra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſine ſpe remiſſionis, ſolutionem, ac anni continui exercitii impreſſionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat, ac demùm ingraveſcente contumacia, taliter per Epiſcopum ſuum, vel Vicarium noſtrum reſpectivè, per omnia juris remedia caſtigetur, quod alii ejus exemplo

ſimilia

ſimilia minimè attentare præſumant. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
Datum Romæ in publica Seſſione, in Lateran. Sacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata, Anno Incarn. Dom. 1515. 4. Nonas Maii, Pont. noſtri Anno 3.

Forma Profeſſiones Fidei Catholicæ obſervanda a quibuſcumque promotis, & promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electiſque, & eligendis ad cathedras, lecturas, & regimen publicorum Gymnaſiorum.

PIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſacroſancta B. Petri Principis Apoſtolorum Cathedra, meritis licet imparibus, hiſce procelloſis militantis Eccleſiæ tempeſtatibus conſtitutos, plurimùm nos oportet eſſe ſollicitos, ut Domini gregem curæ noſtræ commiſſum non ſolum ab apertis rapacium luporum undecumque caulis obſtrepentium inſultibus, ſed etiam a magis formidoloſis peſtiferarum vulpecularum domi latitantium inſidiis, per providum paſtoralis officii miniſterium, ipſo Domino cooperante præſervemus, ac illis omnes nocendi occaſiones, quantum cum Deo poſſumus, ubilibet auferamus.

§. 1. Cum itaque juxta notum Sanctiſſimi Vatis oraculum, timor Domini, ſine quo vera Religio, & Catholicæ fidei puritas nullibi reperitur, ſapientiæ ſit initium, & qui vel in ſcientiis proficere, vel eas alios docere parant, ſupremum illum ſapientiæ parentem, benignumque largitorem devoto ſanæ fidei obſequio demereri, veraque ſinceræ Religionis pietate ſibi conciliare debeant.

§. 2. Idcircò hanc Fidei puritatem ſcientiis, doctriniſque quibuslibet, tum tradendis, tum addiſcendis, tanquam neceſſariam baſim, conſtituere, & ne ſimplicia nonnullorum adoleſcentium, res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium hæreſum ſcrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magiſter, Regens, vel alius cujuſcumque artis, & facultatis profeſſor, ſive clericus, ſive laicus, ac ſæcularis, vel cujuſvis Ordinis regularis ſit, in quibuſvis Studiorum generalium Univerſitatibus, aut Gymnaſiis publicis, aut alibi, ordinariam, vel extraordina-

riam lectoris Cathedram assequi, vel jam obtentam retinere, seu alias Theologiam, canonicam vel civilem censuram, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes in quibuscumque Civitatibus, terris, oppidis, ac locis, etiam in Ecclesiis, Monasteriis, aût Conventibus Regularium quorumcunque, publicè vel privatim quoquo modo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere, vel exercere.

§. 3. Neque Doctores ipsi, aut Universitatum, seu Gymnasiorum eorundem Rectores, Cancellarii, vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a Nobis, & Apostolica Sede, vel alias undecumque habentes, scholares, tam laicos, quàm clericos, & cujusvis Ordinis regulares, vel alios quoscumque, quantalibet eruditione præditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere.

§. 4. Neque Doctores, Magistri, & Scholares, ad electionem alicujus in Electorem, vel Cancellarium Universitatis, aut Gymnasii procedere: Nec ipsi Scholares, vel alii quantumlibet docti, & alioqui habiles, gradus hujusmodi, vel eorum aliquem, palam, vel privatim recipere valeant, nisi Doctores videlicet, ac Regentes, Magistri, & alii professores jam ad Cathedras, & lecturas recepti, in Italia infra tres, extra verò illam infra sex menses a die publicationis præsentium computandos, reliqui veró ad Cathedras, & alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores, vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinarii loci, vel ejus in spiritualibus Vicarii. Ac promovendi Scholares, & alii præfati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii, seu ejus Vicarii, aut Doctorum, aliorumve promoventium manibus, prævio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super Religione, Fideque Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, & promovendorum eorundem per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios ritè facta præcedente, eandem Catholicam fidem, verbis juxta formæ infrascriptæ tenorem conceptis, palam, & solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, & fidei professione in privilegio Doctoratus, vel alterius gradus hujusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.

§. 5. Ac omnibus, & singulis earundem Universitatum, & Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus, & aliis Superioribus, ac alias facul-

tatem

tatem doctorandi habentibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & praeminentiae fuerint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac Ducali, vel alia, etiam Regia, & Imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in Universitatibus, Civitatibus, Oppidis, vel aliis locis sibi in spiritualibus, vel temporalibus subjectis, aliter Cathedras, aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoveri respectivè patiantur, in virtute sanctae obedientiae, & sub interdicto ab ingressu Ecclesiae quoad Antistites, quo verò ad inferiores, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis omnium, & singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtiùs inhibemus.

§. 6. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones, & admissiones absque processu, certaque de Religione, & Fide Catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris, vel momenti esse, neque cuiquam in judicio, vel extra suffragari posse.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Universitatum, & Gymnasiorum, Ordinum, & locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis eisdem Universitatibus, & Gymnasiis, ac Ordinubus, & locis, eorumque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus Palatinis, & aliis etiam Regularibus personis praefatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam per nos, ac Sedem praefatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, Rempublicarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, & aliàs quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa,

 &

& individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, specialiter, & expresse motu simili derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 9. Ne autem quispiam præsentium ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare possit, sed ipsæ ad omnium notitiam deducantur, volumus, & mandamus, quod eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ nostræ valvis, acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra verò illam existentes intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Forma autem dictæ Professiones Fidei hæc est.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Marìa Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

ctor. Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vera, & propriè Sacramenta Novæ Legis, a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter, & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, Æcumenicis Conciliis, ac præcipuè a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam

tam

tam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

§. II. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1564. Idibus Novemb. Pontific. nostri Anno 5.

Forma professionis Orthodoxæ Fidei, observanda a provisis de beneficiis Ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis Ordinum Regularium, & Militarium.

PIUS EPISCOPUS.
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctum nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus Omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes quos deinceps Cathedralibus, & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxæ Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & jurare teneantur.

§. I. Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine, vel titulo providebitur, idem servari, & ad hoc ut unius, & ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minimè desiderari, formam ipsam præsentibus adnotatam publicari, & ubique

que gentium per eos ad quos ex decretis ipsius Concilii, & alios prædictos, spectat, recipi, & observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc, & non aliam formam, professionem prędictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè pręcipiendo mandamus hujusmodi sub tenore.

Hic ommittitur formula professionis Fidei superius recensita.

§. 3. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur, & ut omnibus faciliùs pateant, in ejus quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraíre. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Idib. Novemb. Pontificatus nostri Anno 5.

Medici, quæ servare debeant in curatione Infirmorum.

PIUS PAPA QUINTUS,
Ad perpetuam rei memoriam.

SUpra gregem Dominicum nostrę vigilantię divinitus creditum, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur exercentes officium, ad ea per quæ animarum saluti cum divini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus, ut Christi fideles post Baptismum in peccata lapsi, per Sacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur.

§. 1. Sanè cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea provide fel. rec. Innocentius Tertius prædecessor noster Medicis præceperit, ut cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, ut animarum Medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant.

§. 2. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper observari, constitutionem præfatam auctoritate Apostolica tenore presentium innovamus.

§. 3. Et hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati

vocati fuerint, ipsos ante omnia moneantur, ut idoneo confessori omnia peccata sua juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi ut præmittitur peccata sua confessi fuerint.

§. 4. Conjunctos verò, ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quam conjuncti, & familiares præfati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant.

§. 5. Quod si qui Medicorum præmissa non observaverint, ultra poenas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuó sint infames, & gradu medicinæ quo insigniti erant, omninò priventur, & a Collegio, seu Universitate Medicorum ejiciantur, ac poena etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.

§. 6. Et ut hæc omnia inviolabiliter observentur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, ut nullus posthac ubique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis Collegio, & Universitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta, medio eorum juramento coram Notario publico, & testibus observare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, & de hujusmodi juramento, in privilegio, seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quod si Collegia, & Universitates præfatæ non recepto a promovendis juramento hujusmodi, eosdem ad gradum prædictum promoverint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, poenam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.

§. 7. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Civitatibus, & Dioecesibus propriis præsentes nostras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum a Medicis jam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus juris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in Civitaribus, & Dioecesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit eosdem juramentum hujusmodi præstitisse, & contumaces, & jurare, ac juramentum hujusmodi jam præstitum exhibere recusantes, gradu Medicinæ, & omnibus privilegiis eisdem Medicis, tam conjunctim, quàm divisim, eis, & eorum cuilibet concessis per quosvis, etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint.

§. 8. Non obstantibus præmissis, privilegiis, indultis, literis Apostolicis quibusvis personis, Collegio, & Universitati, sub quibusvis verborum

borum formis, & tenoribus concessis, quæ omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostræ tantum, revocamus, cassamus, & annullamus, & omnes Principes sæculares, ac alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Jesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum nihilominus injungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum favorem, & auxilium prestent, ac contrafacientes pœnis, etiam temporalibus afficiant.

§. 9. Volumus autem quod presentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagantes perpetuò valituras conscribantur.

§. 10. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 8. Martii 1566. Pontificatus nostri Anno primo.

De Exemptorum privilegiis circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium monasteria, & prædicationem Verbi Dei.

GREGORIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili Dei providentia universalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut a dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est, nullum Presb. etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

§. 2.

§. 2. Necnon ut in monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus immiaet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm sæculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, incujus Dioec. sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

§. 3. Atque ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia, contradicente autem Episcopo nullibi, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant.

§. 4. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quàm sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive sæcularibus incumbentem exerceant, sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione, sive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione, de facto, absq; ulla auctoritate se ingerant in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Dioecesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subjiciantur. Ad hæc tam regulares, quàm sæculares hujusmodi, nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

§. 5. Confessores verò, sive seculares quomodocumque exempti, tam ordi-

ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus subjectarum, pertinentia, sive regulares extiterint, sive sæculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§. *6.* Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quàm regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

§. 7. Decernentes sic per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: Irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militarium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum,

Con-

Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque, tam secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Ceterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranen., & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

§. 10. Ac volumus, ut earundem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii, Pontificatus nostri Anno 2.

Pro

Pro observatione Festorum.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

UNiversa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremę incumbere sollicitudini Dominicum gregem ad æternam dirigere salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant fœliciter pervenire.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias Regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, Festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses, atque Provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quęnam ex pręcepto, quęve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorundem numerositatem tepescente? Quinimò & clamor Pauperum frequens ascendit ad nos eandem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valdè damnosam conquerentium, & quod summoperè dolendum est, magno cum animi nostri mœrore didicimus, tanta sępè sępius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine non ad ędificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita ut quæ ad glorificandum Divinum Numen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Ven. fratres Archiepiscopi, & Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere, & sanctificationis Festorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis priùs frequentibus per doctos, piosque Viros, quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur grvitas postulare, Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, necnon de prædictæ Apostolicæ plenitudine potestatis, hac perpetuò valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro Festis ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ

 proba-

probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos scilicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis Sanctæ Crucis, necnon Festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, & S. Mathiæ Christi Domini Apostolorum; item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papæ & Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris, & S. Annæ, Deiparæ respectivè Sponsi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

§. 3. Ad reliquorum verò dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere. Ut verò ea quæ superiùs expressa sunt, ferventiori qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis: Quæ quidem licentiæ non aliter quàm ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur concedendæ, non nisi gratis, liberè, & sine ullo prorsus pretio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, sub pœnis etiam gravioribus nostro, successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa Judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, nunc, & pro tempore exstenti nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, ac universis, & singulis

gulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ac cujuſcumque generis locorum Ordinariis, etſi Cardinalatus honore fulgeant, ut has præſentes literas, omniaque, & ſingula in eis contenta, ſinguli videlicet in eorum reſpectivè Diœceſibus publicent, & ab omnibus eorum ſubditis ad unguem obſervari faciant.

§. 5. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, ac univerſalibus Conciliis editis, & edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſingularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus longiſſimo tempore præſcriptis, ac obſervatis, etiam immemorialibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, & literis Apoſtolicis, aliiſque gratiis, tam per ipſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos etiam motu ſimili, etiam Conſiſtorialiter, quàm per Ordinarios locorum, cujuſcumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut præfertur fulgentes, Legatos etiam de latere, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ipſis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis, aliiſque quibuſcumque, etiam quantumvis privilegiatis, perſonis etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac aliàs in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inferri forent, eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, Intentionis, Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incar. Domin. 1642. Idib. Sept., Pontif. noſtri Anno 20.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D.

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII.

CONSTITUTIO,

Qua Edictum fel. rec. Innocentii Papæ XII. de Parochialibus Ecclesiis Pensionum onere non gravandis confirmatur, perpetuisque futuris temporibus observari mandatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

QUuanta Pastoribus animarum, quas Redemptor Noster Jesus Christus pretiosissimo cruore suo acquisivit, in crediti sibi Gregis regimine adhibenda sit vigilantia, exacti muneris ratio ab ipsis supremo Pastorum Principi districtè reddenda apertè Nos docet, dum commissarum ovium sanguinem, quæ ex Custodum fortassè incuria peribunt, in extremi examinis die de illorum manibus severus Judex requiret. Porrò inter cetera, quæ animarum Rectoribus Divino præcepto mandata sunt, quemadmodùm Sancta Tridentina Synodus rectè admonet, illud esse dignoscitur, ut ipsi pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant: hoc est illis, qui inopia laborant, præsertim verò viduis, atque virginibus, orphanis, pupillis, & infirmis non modò spiritualia debitæ pietatis, & charitatis officia tribuant, verùm etiam, more boni Patrisfamilias, eorum necessitatibus pro viribus subveniant, & quæcumque possunt temporalia subsidia conferre non prætermittant. Nec sanè minorem, imò fortè potiorem, iidem animarum Rectores adhibere tenentur curam, & diligentiam, ut Parochiales cujusque ipsorum Ecclesiæ, quas maxima decet sanctitudo, quoties necessitas exigit, a temporis injuriis vindicentur, ac insuper omni cultu, ornatu, atque decore præfulgeant. Quæ quidem omnia a plerisque Parochis, præsertim in Italia (ut diuturno quinquaginta annorum in Episcopatu, licèt infeliciter, a Nobis transactorum experimento satis novimus) præstari, & impleri non possunt, quoniam Parochialia, quæ obtinent,

Bene-

Beneficia gravibus adeò Pensionibus, fructuum reservationibus aliisque oneribus, ut plurimùm obnoxia sunt, ut ipsis interdum proprio victui necessaria vix supersint, & qui Altari serviunt, de Altari vivere aliquandò non valeant.

§. 1. Gravem ejusmodi Pensionum, onerumque abusum animo secum reputans fel. rec. Innocentius Papa XII. prædecessor noster pro eximio zelo suo a Sancta Dei Ecclesia eum submovere curavit, & re ipsa toto Pontificatus sui tempore submovit, ac è medio sustulit, saluberrimo desuper promulgato, typisque edito Edicto tenoris sequentis, videlicet: *Bandino del Titolo di S. Pancrazio Prete Cardinal Panciatichi, e della Santità di Nostro Signore Prodatario. Volendo la Santità di Nostro Signore con la sua paterna carità, e zelo eccitare i Parrochi alla maggior vigilanza delle anime alla di loro cura commesse, e facilitar loro il modo di sovvenire alle necessità delle medesime con più abbondanti limosine: Quindi è, che per ordine espresso datoci a bocca dalla Santità Sua comandiamo, ed ordiniamo, che per l'avvenire non s'abbino da aggravare le Parrochiali, etiam di Juspadronato Laicale, di Pensioni, e che ciò debba osservarsi ancora dagli Ordinarj nelle proviste, che essi saranno per farne. In oltre, che non si ammettino rassegne, o permute di Parrochiali con riserva di Pensioni a favore di chi si sia, e sotto qualsivoglia titolo, etiam di prestazione di alimenti, e che molto meno si riservino Pensioni sopra le medesime Parrochiali* sine causa Benficio pleno, *di consenso de' Possessori per qualsivoglia causa, e titolo. Dalla Dataria questo dì* 11. *Novembre* 1692. *B.Card. Prodatario*: Quod quidem Edictum, tamquam æquitati, justitiæ, sacrisque Sanctionibus maximè consentaneum, ut omnibus innotesceret, & ab omnibus etiam, quemadmodùm par erat, observaretur, Nos, qui tunc, præter Cardinalatus honorem, Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ regimini præeramus, in prima nostra Provinciali Synodo ejusdem Ecclesiæ habita anno 1693. tit. 22. cap. 2. expresè memoravimus, ejusque prætereà integrum tenorem in Appendice retulimus.

§. 2. Verùm postquàm antedictus Innocentius prædecessor viam universæ carnis ingressus fuit, præfatum Edictum, utpotè temporarium, in desuetudinem abiit, omnique penitus effectu caruit, & Parochiales Ecclesiæ eiisdem, ut anteà, Pensionibus, aliisque oneribus prægravari cœperunt; quin etiam, sicut accepimus, atque diuturno Pastoralis muneris exercitio abundè comperimus, quorumdam Patronorum Laicorum, quibus jus præsentandi, seu nominandi Rectorem pro tempore earumdem Parochialium Ecclesiarum, occurrente illarum vacatione, ceteroqui ligitimè competit, impudentia, ac effrænis avaritia, quæ Idolorum servitus, est, alicubi eò usque processit, ut ejusmodi præsentationem, seu nominationem veluti sub hastà ponere, & (quod

 dolentes

dolentes dicimus) licitatori ampliorem Pensionem offerenti polliceri, & addicere non erubuerint.

§. 3. Hinc igitur est, quòd Nos detestandæ huic Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationi, aliisque præmissis pro Pastoralis officii nostri debito consulere, ac simul opportunè providere volentes, ut antedictis animarum Pastoribus de cetero commodior suppetat modus nedum suas Parochiales Ecclesias, quotiescumque oportuerit, reparandi, ornandi, sacrisque suppellectilibus ad Divinum cultum necessariis instruendi, sed etiam subveniendi pauperum, aliarumque miserabilium personarum præfatarum indigentiis ex eo, quod honestæ, & congruæ ipsorum sustentationi superederit: ac insuper ipsis incitamentum præbere cupientes, ut suscepti ministerii labores, & incommoda libentiùs perferant, & Gregi alacriùs attendant, in quo positi sunt regere plebem Dei: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione præinsertum laudatissimi Prædecessoris Edictum, omniaque, & singula in eo contenta amplissimè confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, ac irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & munimen adiicimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac alios defectus, siqui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, atque illud, & illa, quatenus opus sit, innovamus, ac instauramus, & ab omnibus, ad quos spectat, ac de cetero quomodolibet spectabit, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcussè observari volumus, statuimus, & mandamus: Reservata tamen Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti facultate, ac authoritate imponendi antedictis Parochialibus Ecclesiis eas Pensiones, quas Beneficiorum proventus, & locorum, personarumque conditio imponi permiserint, in favorem dumtaxat, & commodum Fabricæ earundem Ecclesiarum, ad hoc, ut illæ ejusmodi certo subsidio promptiùs reparari, opportunè manuteneri, & congruis etiam ornamentis, ut præfertur, augeri possint, & valeant.

§. 4. Decernentes præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis jus, vel interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, vel aliis quibusvis de causis quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quolibet, quantumvis magno, formali, & substantiali defectu, notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quæsito prætextu, vel colore in controversiam vocari, ad terminos

minos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, concesso uti nullatenus posse; sed easdem præsentes literas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non memoratis animarum Rectoribus plenissimè suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & quosvis alios qualibet authorirate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocunque functuros, in qualibet causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet in quocumque judicio aliter judicandi, ac interpretandi facultate, judicari, & definiri debere: irritumque, inane, nulliusque prorsus roboris, vel momenti quidquid secus super his a quoquam quavis authoritare scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque, ac illa præsertim fel. rec. Pii IV. de gratiis qualecumque interesse Cameræ nostræ Apostolicæ concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, itaut easdem præsentes Literas, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis, ac edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus; Statutis quoque, Decretis, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibusvis tenoribus, & formis etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quælibet alia expresſio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac exactisſimè expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmis-

ſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſsimè, & ampliſſimè derogamus derogatum eſſe volumus, & mandamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſsis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud, ab omnibus habeatur, quæ haberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc noſtrarum voluntatis, confirmationis, approbationis, præcepti, ſanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, viii. Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno primo.

P.M.Card.Prodatarius. F.Card.Oliverius.

Viſa de Curia J.C. Archiepiſcopus Amaſenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri J. C. milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, Indictione ſecunda, die vero vigeſima Septembris, Pontificatus SS. D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentà Papæ XIII. Anno primo, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis, dimiſſis copiis, ut moris eſt, per Nos Antonium Placentinum, & Hieronymum Herbam Apoſtolicos Curſores.

Joannes del Rè Magiſter Curſorum.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D.

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII.

CONSTITUTIO,

Qua decernitur, & mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de cetero tumulabuntur, Quarta Funeralis persolvatur cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex æqui, bonique supremus Assertor, auctoritatem a Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdùm, quæ a Prædecessoribus suis ob rationabiles, & justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium, & detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei, & Ecclesiæ Ministros, quorum est evangelizare pacem, & quibus a Domino non aliud frequentiùs, neque enixiùs commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis maturè pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, Fidelium Animarum saluti, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sanè quamplures Romani Pontifices Prædecessores nostri multiplicia, ac planè insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt præsidiis, Viris nempè vitæ sanctitate, doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis zelo præstantibus, eidemque in Cœlis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis, & privilegiis benignè decorarunt, ac inter alia iis illud

con-

concesserunt, ut canonicam portionem, seù quartam Funeralium emolumentorum partem pro personis, quæ in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minimè tenerentur; ac ad majorem ejusmodi Privilegii firmitatem, Sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Prædecessore nostro editæ in Concilio Viennensi, & relatæ in Clementina -- *Dudum de Sepultur.*, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in *cap.* 13. *sess.* 25. *de reformat.*, prædictam Quartam Funeralem Parocho apertè reservantibus, non semel amplissimè derogarunt; Unde non acerbæ modò Parochorum querelæ, sed innumeræ etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares super solutione ejusdem Quartæ diversis temporibus excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinariis Locorum, & deindè in variis quoque almæ Urbis nostræ Tribunalibus, præsertim verò in Auditorio Palatii nostri Apostolici, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E Cardinalium præfati Concilii Tridentini Interpretum magno Partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussæ, sicut accepimus, aliquandò ad favorem Parochorum, aliquandò autem ad favorem Regularium, pro diversis causarum circumstantiis, atque vario Judicantium sensu, decisæ, ac definitæ fuerunt. Hæc porrò Judicatorum, Sententiarumque diversitas, cum nullam certam, ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum planè fomentum, & ansam relinquit, imò & latam sternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares, & Parochos litibus, & controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidiis, novisque prægravari dispendiis possunt cum Divini Cultus detrimento, & scandalo plurimorum.

Quocirca Nos maximè expedire censentes, ut ejusmodi controversiæ, & lites ab Ecclesia Dei penitùs arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternæ charitatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide, & Sede Apostolica optimè meritos, præcipuo semper in honore, ac pretio, habuerimus, & habeamus; nihilominùs considerantes exemptionem a solutione Quartæ Funeralis præfatis Ordinibus a dicta Apostolica Sede concessam modò vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis prædictorum Regularium; ac proindè non modò consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones, & prisca Ecclesiæ disciplina apertè suffragantur, indemnitati oppor-

opportunè consulatur, & antedicta Apostolica Privilegia ad æquitatis limites reducantur: Hinc igitur est quod Nos omnia, & singula memorata Privilegia exemptiva a solutione Quartæ Funeralis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut præfertur, quandocumque, & quomodocumque concessa, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore, & substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in præsenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione præmissa omnia Privilegia quoad Quartam Funeralem tantùm pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus sit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

Præterea motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus sancimus, statuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, a die publicationis præsentis Constitutionis in futurum Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, persolvatur, & cum effectu tradatur Quarta Pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die Funeris accendentur. A prædicta tamen Quarta Funerali exceptæ intelligantur, & sint Candelæ; quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatùm Confratres Funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quòd si Funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominùs assignetur Quarta Pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti Funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Coenotaphium, seu Tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ, accensa fuerint. Hæc porrò omnia locum habeant, & exactè in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extrà suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive quia in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit. Ceterùm sub prædicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imò expræsse ab ea excipimus, Legata Missarum, & Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad

favorem

favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis a Defuncto disposita; Circa quæ, ac omnia, & singula alia, de quibus in præsenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa salva prorsùs, illæsa, ac inviolata perpetuò permanere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inconcussè, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi verò consuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem prædicta Quarta emolumentorum Funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcussè ab omnibus observari motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, sancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regularium Superiores, vel quicumque alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seù causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seù aliàs justificatæ non fuerint, vel etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, colore, & causa etiam necessariò exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seù adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque, aliud juris, vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù eo impetrato quemquam uti, seù se juvare in judicio, vel extrà nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari debere; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum dicti Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis gene-

enra-

neralibus, vel specialibus Constitutionibus, necnon quorumvis Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros eisdem Ordinibus, ut præfertur, illorumque Superioribus, & Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seù earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, præcepti, sanctionis, mandatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ millesimo

mo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, 4. Kalendas Maii Pontificatus noſtri anno primo.

P.M.Card.Prodatarius. F.Card.Oliverius.

Viſa de Curia J. C. Archiepiſcopus Amaſenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, Indictione tertia, die verò 8. menſis Junii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno ſecundo, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Franciſcum Baldum Apoſt. Curſ.

Antonius Pelliccia Mag. Curſ.

ALEXANDER LITTA

Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratia Epiſcopus Cremonenſis, & Comes, &c., ac Pontificii Solii Aſſiſtens.

PRæſentem Conſtitutionem ut omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat in hac Civitate, & Diœceſi noſtra Cremonenſi nota ſit, ſicetiam inſtantibus Parochis reimprimi, ad Valvas Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, aliaque loca ſolita affigi mandavimus, ne poſſit allegari ignorantia &c., & ad effectum &c.

Dat. ex Palatio Epiſcopali Cremonæ hac die prima Auguſti 1725.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Jo: Baptiſta Scodes Cancell.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D.

BENEDICTI
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII.
CONSTITUTIO,

Qua Locorum Ordinariis norma præscribitur coercendi Clericos Beneficiatos in Habitu Laicali incedentes, eosdemque Clericos teneri sub mortali ad restitutionem fructuum perceptorum decernitur, & declaratur, cum aliis ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

CAtholicæ Ecclesiæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præsidens, eò potissimum Apostolicæ vigilantiæ studia dirigenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiasticæque Militiæ nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maximè siquidem ipsos decet vitam, moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Quocircà Clericos quoscumque, præsertim verò Beneficia Ecclesiastica obtinentes, teneri Vestes honestas, & proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, & si secus fecerint, etiam pœnà privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacræ Tridentinæ Synodi Decretis, pluribusque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum sanctionibus; providè, atque salubriter cautum est.

Cum itaque, sicut non sine maximo animi Nostri mœrore, imò etiam horrore, percepimus, quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica obtinentium audacia, & temeritas hodie eò usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum, magnamque Animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minimè vereantur; Nos gravissimo huic abusui, & Christifidelium offensioni pro Pasto-

Paſtoralis Officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune conſulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot inſuper dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quos ad id ſpecialiter deputavimus, conſilio, ac etiam Motu proprio, ex certà ſcientià, & maturà deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac Noſtrà perpetuò valiturà Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi ſita ſunt Beneficia ejuſmodi Clericorum Veſtes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omninò coerceant, & hunc in finem non modò poſſint, ſed etiam debeant contra ipſos procedere per citationes domi dimiſsà copià, quatenùs domicilium habeant in eorum reſpectivè Diœceſi: ſin minùs per citationes ad valvas: Juriſque ordine cæteroquin ſervato ſententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipſos ferre, & pronunciare, ita tamen ut eadem Beneficia juxtà Conſtitutionem fel. recor. Sixti V. Prædeceſſoris Noſtri incipientem -- *Cum Sacroſanctam*. Noſtræ, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis collationi, proviſioni, ac omnimodæ diſpoſitioni reſerventur, & reſervata cenſeantur.

Pretereà volumus, ſtatuimus, & declaramus prædictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minimè licere percipere, nec facere ſuos fructus, & proventus quoſcumque ſuorum Beneficiorum cujuſcumque generis, ſpeciei, qualitatis, & valoris exiſtant: quin etiam expreſsè decernimus, & ſancimus ejuſmodi Beneficiatos ex mero facto inceſſus in habitu laicali, quamvis nulla pręceſſerit Ordinariorum ſententia declaratoria privationis Beneficiorum, quę obtinent, imo etiamſi nulla citatio, monitio, vel alius judicialis actus in eos fuerit inſtitutus, ipſo jure amiſſionis, & privationis fructuum pręedictorum pœnam incurrere, itaut illos nullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere ſuos poſſint: ſed ipſos abſque ulla prorſus diminutione ad commodum fabricę Eccleſiarum, in quibus erecta ſunt Beneficia, illicò ſub pœnà lethalis culpę reſtituere teneantur; a qua quidem reſtitutionis obligatione a nemine, pręterquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente (ſublatà cęteris omnibus, etiam Pœnitentiarię Apoſtolicę Officio, & Majori Pœnitentiario condonandi facultate) eos abſolvi, & liberari poſſe volumus, præcipimus, & mandamus.

Decernentes eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcumque, ſemper firma, & efficacia exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in pręmiſſis

per

per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſque quoslibet quavis præeminentià, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatà eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtrà, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo: necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Statutis, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis: privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſcumque ſub quibuſvis tenoribus, & formis, & cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam motu, ſcientià, & Poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam Conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio; ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

 Nulli

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto non. Maii, Pontificatus nostri Anno primo.

P.M.Card.Prodatarius. F.Card.Oliverius.

Visa de Curia J. C. Archiepisc. Amasenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativ. Dom. Millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indict. tertia, die verò 2. mensis Maii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina providentia Papæ XIII. Anno primo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostol., & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Bartholomæum de Camillis Apost. Curs.

Ant. Pelliccia Mag. Curs.

ALEXANDER LITTA

Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratia Episcopus Cremonensis, & Comes &c. Pontificio Solio Assistens.

PRæsentem Constitutionem SS. D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. ut omnibus, & singulis in hac Civitate, & Diœcesi nostra innotescat pro muneris nostri ratione imprimi mandavimus, & Valvis majoribus anterioribus Ecclesiis nostræ Cathedralis, & ad alia loca solita hujus Civitatis affigi, ac ad Vicarios nostros Foraneos, & Parochos Diœcesis pro opportuna publicatione transmitti jussimus.

Dat. Cremonæ ex Palatio nostro Episcopali hac die 20. Maii 1725.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D.

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII.

CONSTITUTIO,

Qua Locorum Ordinariis Italiæ, Insularumque adjacentium districtè mandatur, ut Seminariorum erectionem sedulò promoveant, eorumque honestæ substentationi provideant Taxà, & subsidiarià respectivè unione Beneficiorum juxtà modum a Sacro Triden. Conc. præscriptum; ac insuper nova instituitur Congreg. Seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, & administrationi præsideat, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Reditæ Nobis cœlitùs dispensationis Officium salubriter exequi, adjuvante Domino, satagentes, ad ea mentem, curasque nostras libenter convertimus, per quæ sedulæ Clericorum institutioni opportunè prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceù plantæ novellę, benigniori cultura educentur, hoc est, ad pietatem, morum candorem, Literarumque scientiam in Seminariis accuratè informentur, cum posteà ad laboriosa Ecclesiastica Ministeria in Vineam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini, populorumque saluti maximè fructuosos, ac utiles esse diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

Cum itaque Seminarii Ecclesiastici erectio a Sacra Tridentina Synodo *cap.* 18. *sess.* 23. *de reformat.* Episcopis omnibus tantoperè commendata, & ad Ecclesiasticam Disciplinam conservandam adeò necessaria, in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, quemadmodùm non sine gravi ani-

 mi

mi nostri mœrore accepimus, huc usque neglecta fuerit; Nos pro Pastoralis vigilantiæ nostræ debito pium hoc, & sanctum opus strenuè promovere cupientes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, universis, & singulis Locorum Ordinariis Italiæ, Insularumque adjacentium, hac nostra perpetuò valitura Constitutione districtè injungimus, præcipimus, & mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenùs erectum non fuit, illud quamprimùm erigi, ac omninò institui curent; Ubi verò jam reperitur erectum, sed congruis redditibus ad Alumnorum, Magistrorumque substentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportunè provideant. Utroque igitur casu, nimirùm tam pro erectione novi Seminarii, quàm pro supplemento redditUum Seminarii jam erecti, Taxam cum consilio duorum de Capitulo, & totidem de Clero conficiant a memorato Tridentino Concilio *cap.* 18. *sessione* 23. *de reformat.* præscriptam, incipiendo ab integris fructibus Mensæ Episcopalis, & absque ullo discrimine prosequendo juxtà normam ibidem expressam, & providè constitutam. Eidem verò Taxæ omnia, & singula Beneficia Sæcularia, & Regularia per quoscumque, etiam Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, necnon nostros, pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ nostræ Apostolicæ Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque præsentes, & futuros obtenta, & in posterùm obtinenda, ac omnia insuper Beneficia Sæcularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda, necnon fructus, ac redditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynæ, vel in vim Statutorum contribuuntur) subjici, & ad illius solutionem perpetuò teneri decernimus, statuimus, & mandamus; Declarantes ab ea exemptos esse debere Regulares pro iis tantùm Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresè, & ex causà verè, ac propriè onerosà indulsit, ut ab onere Taxæ pro Seminario exempti sint.

Porrò ejusmodi Taxa juxtà locorum qualitatem respondere debeat summæ scutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, & si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario; itaut numquam minor scutis tribus, neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario, & anno; ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in prædicto *cap.* 18. sancita accuratè, & adamussim observetur. Donec autem nova hæc Taxa confecta, & a

Con-

Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium anteà exigere consueverat, omninò persolvatur. Ceterùm novæ Taxæ exactio semper committatur personæ fide, & facultatibus idoneæ ab Episcopo, & Cathedralis Ecclesiæ Capitulo specialiter approbandæ, ac deputandæ, ita quidem ut quoties Exactor hujusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam iidem Episcopus, & Capitulum præstare debeant, & pro non exactis, atque deperditis respectivè de proprio teneantur, liceatque Seminario tam contrà Exactorem, quàm contrà Deputantes, eorumque hæredes, quocumque tempore agere nedùm pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad præcisam Taxæ faciendæ normam, & quantitatem.

PrETereà Episcopi, & Capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes juxtà præfatam Taxam quolibet anno realiter, & cum effectu deponere teneantur penes Exactorem deputatum, qui eas solvat, seu eroget in sumptus pro Seminarii manutentione necessarios, & tam hujus depositi, quàm successivæ solutionis, seu erogationis, simulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, & qua de causa, documentum per eosdem Episcopos, & Capitula ad antedictæ Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.

Quod si in aliqua Diœcesi computatis propriis Seminarii redditibus, si qui sint, necnon Beneficiorum anteà cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum Conventuum suppressorum præcedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas esse volumus) per hujusmodi etiam Taxam erectioni, substentationi Seminarii, ad necessitatem nimirùm uniuscujusque Diœcesis, & Alumnorum, non autem ad pompam, & voluptatem, sufficienter provideri nequiverit; tunc, & eo casu, ac in subsidium tantùm, Ordinarii locorum eidem Seminario unire, & applicare possint, ac debeant Beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam Juspatronatus Ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porrò unio fiat statim, & ante eorumdem Beneficiorum vacationem: nempè uniantur Beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem in ipsà unione specificandam, quæ, computata Taxa insufficienti, satis esse possit substentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac beneficia prædicta quomodocumque vacaverint, debitum, atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum no-

ſtrorum Conſtitutionibus, vel Decretis in contrarium facientibus non obſtantibus.

Ceterùm conſiderantes Monaſteria, Prioratus, & Beneficia Conſiſtorialia, necnon aliqua alia indiſpenſabiliter neceſſaria eſſe, ac fore pro congrua ſubſtentatione S. R. E. Cardinalium, & Miniſtrorum Romano Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ actualiter inſervientium, volumus, & declaramus, quod Abbatiæ, Prioratus, & Monaſteria Conſiſtorialia, ſeu Beneficia quovis modo Apoſtolica authoritate commendata, & ad præſens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos S.R.E. Cardinales, ſeu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuncios Apoſtolicos, & Prælatos Congregationum, quibus iidem S.R.E. Cardinales interſunt, Secretarios dumtaxat, memoratis Seminariis uniri, & applicari numquam poſſint, & uniones, quas forſan fieri contigerit, nullæ, ac irritæ prorsùs ſint, firma in reliquis remanente libertate, & facultate uniendi (ſervata tamen forma ſuperiùs expreſſa, & non aliter) cetera omnià Beneficia, etiam, ut præfertur, affecta, & reſervata, vel alias ad proviſionem, ac diſpoſitionem Sedis Apoſtolicæ quomodolibet pertinentia.

Cùm autem, ſicut accepimus, Seminaria pleriſque in locis ideò erecta minimè reperiantur, vel quia Epiſcopi Taxam conficere detrectant, ne illam a ſemetipſis inchoare cogantur, vel quia Beneficia ſimplicia, quorum diſpoſitio ad eos liberè ſpectat, occurrente illorum vacatione, ſuis Familiaribus, aliiſve perſonis ſibi gratis, & benè viſis conferre volunt; Hinc eſt quod Nos omnem ſcopulum, ac obicem impeditivum boni ſpiritualis ab ejuſmodi Seminariorum erectione provenientis è medio prorsùs tollere, at removere intendentes, Motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Noſtri S. R. E. Cardinales Congregationi ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, necnon Congregationi Interpretum Concilii Tridentini Præfecti, utriuſque Congregationis Secretarii, Datarius, ſeu Prodatarius, ac Subdatarius, nunc, & pro tempore exiſtentes eſſe debeant, tenore præſentium perpetuò erigimus, ac inſtituimus, ejuſdemque Congregationis Secretarium illum ipſum, qui Congregationis Concilii prædicti Secretarius pro tempore fuerit, conſtituimus, ac deputamus; prædictæque Congregationi, ac illius Secretario omnium, & ſingulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non ſunt, erigendorum, & ubi erecta quidem ſunt, ſed ſufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur, augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, necnon ejuſdem Congregationis Deputatis prædictis ſemel ſingulis menſibus, & quoties opus fuerit, ſe congregandi,

dictorum

dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum statum, & proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportunè consulendi, Taxas approbandi, reformandi, augendi, numerum Alumnorum in singulis Seminariis taxandi, & præfigendi, eumque pro modo reddituum augendi, & minuendi, Statuta pro recto, felicique eorumdem Seminariorum regimine, & administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summariè, solaque facti veritate inspecta, cognoscendi, & definiendi, Visitatores etiam, qui ejusmodi Seminaria diligenter perlustrent, & an rectè, atque fideliter administrentur, ac in iis potissimùm regulæ a Tridentino Concilio præscriptæ sedulò adimpleantur, inspiciant, & recognoscant, ubi, quando, & quoties opus esse judicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice pro tempore existente, delegandi, ac deputandi, aliaque in præmissis necessaria, & opportuna pro data ipsis a Domino prudentia, decernendi, gerendi, & exequendi, plenariam, atque omnimodam facultatem, potestatem, & authoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.

Universis itaque Episcopis, quorum in Diœcesibus non adsunt, vel congruis redditibus instructa non sunt, Seminaria, per præsentes injungimus, & mandamus, ut quamprimùm præfatam Taxam sedulò conficiant, eamque ad antedictæ Congregationis Secretarium infra sex menses a die publicationis præsentis Constitutionis computandos omninó transmittant una cum distincta, & accurata relatione omnium Beneficiorum suarum Diœcesum, eorumque annui valoris, necnon locorum, animarumque, & Ecclesiarum in illis existentium cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio, omnibus maturè perpensis, statuere possit, an prædicta Taxa approbari, nec ne debeat, simulq; numerum Alumnorum in unoquoq; Seminario retinendorum, & summam pro singulorum substentatione necessariam præscribere, & reliqua tandem omnia, quæ pro recta eorumdem Seminariorum administratione, sedulaque Alumnorum institutione utilia, ac opportuna judicaverit, salubriter decernere valeat.

Omnibus insuper Episcopis præfatis, ne de cetero pro se, vel suis Vicariis, aut Familiaribus quibuscumque, sub quovis colore, & prætextu, habitatione, coquina, famulis, Ministris, aut Officialibus Seminarii, vel Lectoribus, Magistris, Sacerdotibus, & Clericis quoquomodo inservientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel a Seminario salariatis, & substentatis, ac quomodòcumque retentis, uti audeant, districtè sub pena Interdicti ab ingressu Ecclesiæ vetamus, ac inhibemus: Non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo Pontificalia exer-

 centi,

centi, ne Cœremoniarum Magiſtro, vel Sacerdotibus a Seminario retentis, uti poſſit: imò ut eorum opera, ac aſſiſtentia in ejuſmodi ſacris functionibus liberè uti valeat, plenam ipſi Epiſcopo tribuimus facultatem.

Poſtremò ſaluberrimæ præfati Concilii diſpoſitioni inhærentes, volumus, præcipimus, & ſancimus, ut in omnibus Seminariis tam hactenus erectis, quàm in poſterùm erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium tantùm diſciplina erudiantur, & Sacræ Scripturæ, Cathechiſmi, aliorumque Eccleſiaſticorum Librorum, præſertim verò de Sacramentis, Sacriſque Ritibus, & Cœremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut cum ad Vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utileſque Operarios ſeſe probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus ſuis.

Decernentes præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac obtinere, nec non præmiſſa omnia, & ſingula in illis contenta per eos, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, exactè, & inviolabiliter perpetuò obſervari; Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis quibuſcumque, & præfatis Clementis VIII., & Urbani pariter VIII. Prædeceſſorum noſtrorum, aliiſque Apoſtolicis, etiam in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis ad favorem quarumcumque perſonarum editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, ac Inſtitutorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, vel alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum deroga-

rogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia axquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis, sanctionis, prohibitionis, institutionis, deputationis, præfectionis, commissionis, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto septimo Idus Maii Pontificatus Nostri Anno I.

P.M.Card.Prodatarius. F.Card.Oliverius.

Visa de Curia J. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativ. Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto Indict. tertia, die verò 18. mensis Junii, Pontific. autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno secundo, supradictæ Literæ Apostol. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen., Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Baldum Apost. Curs. Antonius Pelliccia Mag. Curs.

Literæ

Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis Concernentes Eleemoſynas, quæ tempore Concionum colliguntur, Superioribus Regularibus hujus Civitatis olim denuntiatæ de mandato fel. rec. Illuſtriſs., & Reverendiſs. D. D. Cæſaris Speciani tunc Epiſcopi Cremonenſis, cui fuerant directæ.

Æſar Specianus Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Cremonenſis, Comes &c. & in hac parte merus Executor Apoſtolicus, per literas Apoſtolicas, de quibus infra, ſpecialiter, & expreſsè deputatus; Dilectis nobis in Chriſto, Adm. RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, aliiſvè Superioribus, & Miniſtris Eccleſiarum præſentis Civitatis Cremonæ, in quibus ſacræ Conciones ſolitæ ſunt haberi, & quibuſvis aliis perſonis in executione præſentium nominandis, & cognominandis ſalutem in Domino. Noveritis nos alias litteras Apoſtolicas fel. recor. Gregorii Papæ Decimiquarti in forma Brevis, ſub Annulo Piſcatoris expeditas nobis ab extra directas, ſanas, integras, & illæſas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes recepiſſe, tenoris infraſcripti videlicet.

Gregorius Papa XIV. Venerabilis frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Si, quæ ad audientiam noſtram quando deferuntur, quæque proviſione Apoſtolica indigere ſentimus, eorum, qui ea nobis ex officio referunt teſtimonio fidem, ut par eſt adhibentes in melius ſemper reformanda ducimus, multò magis ea, quæ nos, dùm in minoribus conſtituti eſſemus, proviſione digna eſſe experientia comperimus, quæque etiam ipſi, ratione ſuadente in melius reſtituere aggreſſi ſumus, & poſtquam reſtituta ſunt, ſi in priores reinciderint abuſus, pari ſtudio iterùm curare tenemur; Hinc cùm aliàs Divina clementia, quæ nobis ſemper aſtitit, tunc etiam favente, Eccleſiæ Cremonenſi præſideremus, ipſo noſtræ adminiſtrationis initio ſummo cum animi dolore invenimus nonnullos verbi Dei, in dicta Eccleſia Prædicatores, etiam Regulares, in eorum Prædicationibus, plerumque perſonas ſibi incognitas, & ideò nonnunquam minus bonæ exiſtimationis, & quæ nulla ægeſtate premebantur publicè, ac palam commendare ſolitos fuiſſe; Unde etiam quandoque evenit, ut una tantùm perſona, ut præfertur, commendata univerſas quampluriium commendationum eleemoſynas abſorbuerit in grave cœterarum, quæ verè pauperes, & ſubſidio dignæ erant, præjudi-

judicium, & detrimentum: Nos tunc miserabilium personarum indemnitati prospicere, & piorum hominum largitionibus quantum cum Domino poteramus, favere volentes, eisdem verbi Dei Prædicatoribus, & aliis injunximus; ut eleemosynæ, quæ pro personis incognitis, & (ut præfertur) minus dignis, & pauperibus colligendæ enunciabantur, de cætero, nonnisi in genere pro iis, qui verè pauperes, & digni essent, de mandato nostro commendarentur; tùm ut eorum nomine diligenter colligerentur, per personas pias, & devotas utriusque sexus: quæ Festis diebus publicè in Eccles. Civitatis Doctrinam Christianam docendi munus, magna cum totius populi utilitate, ac spirituali animarum consolatione subire consueverant, fideliter custodirentur: Deinde per manus unius viri Ecclesiastici, & alterius Nobilis sæcularis, per Nos tunc, vel nostrum in spiritualibus Vicarium deputandi eædem eleemosynæ personis singularum Parochiarum totius Civitatis veræ pauperibus, & dignis repertis, cujusque necessitate diligenter examinata, juxtà eorum qualitatem, & indigentiam particulatiter dividerentur. Qua quidem in re, non ipsis modo Christi egenis, ne videlicet collatis destituerentur subsidiis, sed piis etiam eorum, qui ad hujusmodi eleemosynas conferendas inducebantur votis; ne charitatis defraudarentur effectu, quantùm cum Domino potuimus, satisfacere curavimus. Cum autem post, & propter nostram necessariam quandoque a dicta Ecclesia absentiam, magno cum pauperum detrimento, & bonorum scandalo, pristinus hujusmodi abusus irrepserit, facere non potuimus, quin pro præcipua pauperum Christi cura, quæ nobis ex Pastorali nuper injuncto munere nunc magis incumbit, tali morbo aliquod validius remedium nunc adhiberemus. Motu itaque proprio, ac ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Fraternitati tuæ, cujus pietati similia pauperum incommoda, & determinata placere minimè possunt, per præsentes committimus; ut post hac in eleemosynis populo commendandis in eis colligendis, conservandis, ac demum verè pauperibus, & dignis quorum intuitu collatæ sunt, distribuendis, a quibuscunque verbi Dei Concionatoribus, ac Regularibus, & quantumvis exemptis, & aliis quibuscunque inter Prædicationes, & Missas eos commendari tantummodó permittas, quos Fraternitas tua, vel tuus in spiritualibus generalis Vicarius commendandos jusserit, necnon easdem eleemosynas colligi, conservari, & distribui, ac per te, vel eundem Vicarium deputandis, auctoritate nostra jubeas, ac demum in eisdem eleemosynis colligendis, conservandis, & distribuendis memoratam formam a nobis antea præscriptam in omnibus, & per omnia, per eosdem Concionatores, & alias utriusque sexus personas dictæ Ecclesiæ in virtutæ sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis ab officio, & benefi-

cio,

cio, necnon a facultate ulterius Concionandi, aliisque tibi bene visis pœnis, omni reclamatione postposita perpetuò observari facias, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis, & libertatibus quorumcumque Ordinum, ac Congregationum, & Præpositorum, & Regularium, aliisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1591. Pontificatus nostri Anno primo. Subscrip. M. Vestrius Barbianus. A tergo, Venerabili Fratri Cæsari Episcopo Cremonensi, & successivè post earundem præinsertarum literarum Apostolicarum receptionem per nos, sic, ut præmittitur, respectivè factam, tunc nos volentes mandata Apostolica nobis in ea parte commissa, & directa reverenter exequi, ut tenebamur, præinsertas literas Apostolicas de verbo ad verbum, Admod. Rev. Dom. Fratri Laurentio de Romanengo Ordinis S. Augustini, & Vicario Monasterii ejusdem S. Augustini Cremonæ, Rev. Domino Fr. Jacobo Ronco Bononiensi Ordinis Sancti Francisci Guardiano, & Commissario Monasterii S. Francisci Cremonæ: Rev. Dom. Fratri Maximo de Crema Ordinis Prædicatorum, & Priori Monasterii S. Dominici dictæ Civitatis, denuntiavimus, notificavimus, & intimavimus, & ad illorum, & cujuslibet eorum scientiam, & notitiam deduximus, & deduci mandavimus, eisdem ulterius præcipiendo, sub pęnis in illis contentis ad parendum prædictis literis Apostolicis, & ad illas, & contenta in eis juxta illarum formam, & tenorem observandum, & observari faciendum, prout in publicis documentis desuper confectis latiùs continetur. Nuper autem quasdam alias literas Apostolicas Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Octavi etiam in forma Brevis, sub Annulo Piscatoris expeditas pariter sanas, integras, & illæsas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, ut ex illarum inspectione apparuit, recepimus tenoris etiam sequentis, viz. A tergo, Venerab. Fratri Cæsari Episcopo Cremonen. Intus verò, Clemens Papa VIII. Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem, aliàs sicuti accepimus fel. rec. Gregorius Papa XIV. prædecessor noster, qui ante suam ad summi Apostolatus apicem Assumptionem Ecclesiæ Cremonen. ex concessione, & dispensatione Apost. præerat, volens nonnullis abusibus, qui in colligendis eleemosynis pro pauperibus irrepserant, quia Concionatores verbi Dei, etiam Regulares quandoque in eorum Prædicationibus personas sibi incognitas, & forsan minus bonæ existimationis, & quæ nulla egestate præmebantur, aliasque ad ipsorum libitum publicè, ac palam commendare solebant, aliqua ratione obviare, Fraternitati tuæ per ejus in forma Brevis, Literas sub data die trigesima Augusti MDXCI. expeditas,

peditas, inter alia ordinaverit, ut deinceps in eleemosynis populo commendandis, in eisque colligendis, & conservandis, ac demum verè pauperibus, & dignis quorum intuitu collatæ essent, distribuendis a verbi Dei Concionatoribus, ac Regularibus, etiam quantumvis exemptis, & aliis quibuscumque inter Prædicationes, & Missas, eos in genere tantùm, non autem in specie, aut in individuo commendari permitteres, nec non easdem eleemosynas colligi, conservari, & distribui, a personis per te, vel Vicarium tuum deputandis, auctoritate Apostolica juberes: ac demum in eisdem eleemosynis colligendis, conservandis, & distribuendis formam ab ipso Gregorio prædecessore, dum dictæ Ecclesiæ Cremonen. præesset, præscriptam in omnibus, & per omnia, per eosdem Concionatores, & alias personas, sub pœnis tunc expressis observari faceres: prout in præfatis literis plenius continentur. Cùm autem, sicuti etiam accepimus, licet tu præfatas literas publicari, & intimari feceris, & eas observari mandaveris, nihilominus nonnulli Concionatores, ac aliæ Ecclesiasticæ personæ sub diversis prætextibus illas observare prætermittant. Nos cupientes, ut eleemosynæ, quæ a Christifidelibus pietatis, & charitatis intuitu erogantur, in verè pauperum Christi, subventionem convertantur, ac propterea de tua pietate prudentia, & integritate plurimum in Domino confisi, literarum præfatarum tenorem præsentibus pro expresso habentes, eidem Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, eidemque plenam, & liberam Apostolica auctoritate præsentium tenore facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur: ut quoscunque Concionatores, aut alias Ecclesiasticas personas eos tantum pauperes, sive in genere, sive in specie in eorum Prædicationibus, & Missis populo commendare posse, ac debere quos tu, aut pro tempore existens Ecclesiæ Cremonen. Episcopus, seù tuus, & illius in spiritualibus Vicarius Generalis, commendandos esse duxeritis, & permanseritis, auctoritate nostra præfata perpetuo statuas, mandes, & præcipias: & si qui Concionatores, aut alii prædicti etiam sub prætextu, quod eorum Ecclesiæ, & ipsimet comendantes, a tua ordinaria jurisdictione exempti sint, aliquos te, aut pro tempore existente Episcopo, vel Vicario minimè permittente commendare ausi fuerint, aut si quos tu, vel Episcopus, aut Vicarius hujusmodi commendandos ordinaveritis, commendare recusaverint, vel prætermiserint, contra illos per pœnas, & censuras, in eisdem Gregorii prædecessoris literis contentas, omni appellatione postposita, auctoritate nostra prædicta procedas; pœnas, & censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando: in ipsius verò eleemosynis colligendis, conservandis, & fideliter, quibus debentur, erogandis formam a præfato Gregorio prædecessore præscriptam, aut aliam a te

præ-

præſcribendam ſervari mandes, & facias; Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Concilii edictis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Eccleſiarum, & ordinum quarumcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis præfatorum in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenoribus præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè, ac latiſſimè derogamus: cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Ferrariæ ſub Annulo Piſcatoris die 3. Octob. MDXCVIII. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo. Subſcript. M. Veſtrius Barbianus.

Poſt quarum quidem ultimo præinſertarum literarum Apoſtolicarum receptionem, per Nos ſic, ut præmittitur, factam, volentes, ut tenemur, literas ipſas debitæ executioni demandare, tam ex officio noſtro, quàm etiam ad inſtantiam procuratoris menſæ noſtræ Epiſcopalis, & alias omni meliori modo &c. eaſdem omnes præinſertas literas Apoſtolicas illarumque continentiam, & tenorem, inhærendo quibuſvis aliis intimationibus, & denunciationibus, de illis factis, & jus juri addendo, vobis omnibus, & ſingulis antedictis, & cuilibet veſtrum, cæteriſque omnibus aliis, quos hujuſmodi tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, perſonaliter, vel ad Monaſteria, ſeu ædes veſtræ ſolitæ reſpectivè reſidentiæ intimandas, & notificandas duximus, prout intimamus, & notificamus, & ad veſtram, & cuilibet veſtrum ſcientiam, & notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, vobiſque, & omnibus aliis prædictis auctoritate Apoſtolica prædicta, & vigore præinſertarum literarum Apoſtolicarum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris, & pœnis in præinſertis literis Apoſtolicis contentis præcipiendo mandamus, quatenus a die præſentium noſtrarum literarum notificationis, & intimationis in antea, non audeatis, neque præſumatis, nec illi audeant, vel præſumant per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, in eleemoſynis populo commendandis, & in eis colligendis, & conſervandis, & pauperibus, & dignis perſonis, diſtribuendis, aliquos inter Prædicationes, & Miſſas commendare præter quam pauperes Chriſti in genere præſentis Civitat. Cremonen. & niſi eos, quos Nos, vel M. Rev. D. Vicarius noſter Generalis pro tempore, & Succeſſores noſtri in Epiſcopatu Cremonen. commendandos jubebimus, & juſſerint; nec eaſdem eleemoſynas colligere, conſervare, & diſtribuere, nec aliter in illis quomodolibet quovis prætextu, vel quæſito colore, ſe ingerere, vel intromittere contra formam, & tenorem

earundem

earundem præinsertarum literarum: Quinimò debeatis, & quilibet vestrum debeat pati, & permittere, ut in Ecclesiis vestris omnia, & singula nobis vigore præinsertarum literarum commissa, debitæ executioni demandentur, quod si secus per vos, & quemlibet vestrum factum fuerit, nos ad prædictarum sententiarum, censurarum, & pęnarum declarationem, & executionem contra vos omnes prædictos procedemus, justitia mediante. Absolutionem verò omnium, & singulorum, qui prædictas sententias, censuras, & pęnas incurrerint quoquomodo, nobis, vel Superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium, & singulorum pręmissorum fidem, & testimonium pręsentes nostras literas exinde fieri, & per nostrum, & Curię Episcopalis Cremonę Notarium, & Cancellarium publicum infrascriptum subscribi mandavimus, sigillique nostri quo in talibus utimur, jussimus, & fecimus impressione communiri. Dat. Cremonę ex nostro Episcopali Palatio sub 1598. die verò Jovis vigesimo secundo mensis Octobris.

In Christi nomine, Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno ab Incarnatione ejusdem Millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, Indictione duodecima, die verò Lunæ 16. mensis Novembris Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ VIII. anno septimo. Constitutus Cremonæ in Officio Cancellariæ Curiæ Episcopalis, coram me Not. publico infrasc. Bartholomæus de Cursis currerius, & nuncius publicus Cur. Episcop. Crem. mihique prædicto, & infrascripto Not. retulit, se hodie de mandato præf. Illustriss., & Reverendiss. DD. Cæsaris Speciani Episc. Cremonen. denunciasse, notificasse, & intimasse RR. DD. Guardiano, & Fratribus Monasterii S. Francisci Cremonæ, Ordinis ejusdem S. Francisci præinsertas notificationes, & intimationes suprascriptarum binarum literarum Apostolicarum, prælibati S.D.N. Papæ, in forma Brevis, sub Annulo Piscatoris expeditarum tenoris, & continentia suprainserti, eosque ulterius de mandato ut supra benignè requisivisse, & interpellasse ad parendum prædictis literis Apostolicis, & aliis supra insertis, & ad illas; & contenta in eis observandum, & observari faciendum, & mandandum juxtà illarum formam, & tenorem, & in signum veræ notificationis, & intimationis hujusmodi copiam unam debitè; subscriptam, & sigillatam dedisse, tradidisse, & relaxasse R. D. Fr. Angelo de Bonfiis, Sacristæ dictæ Ecclesiæ præsenti, & illam in suis manibus recipienti; super quibus omnibus, & singulis præmissis, Ego idem Notarius requisitus pro parte præf. Illustriss., & Reverendiss. D. D. Episcopi, hoc præsens publicum confeci Instrumentum præsentibus ibidem DD. Cæsare Mariano, & Hieronymo Minuto ambobus Notariis Cremonen. testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis.

Successivè verò eisdem anno indictione, mense, die, & Pontificatus, quibus supra,

ſupra, idem Bartholomæus Curſus currerius, & nuncius antedictus, mihique prædicto, & infraſcripto Notario retulit, ſe hodie de mandato ut ſupra denunciaſſe, notificaſſe, & intimaſſe Adm. R. D. Abbati, & Canonicis Regularibus Congregationis Later. reſidentibus in Monaſt. S. Petri de Pado dictæ Civitatis, eaſdem præinſertas literas notificationis, & intimationis prædictarum binarum literarum Apoſtolicarum tenoris, & continentiæ, de quibus ſupra, eoſque ulterius de mandato ut ſupra benignè monuiſſe, & interpellaſſe ad parendum prædictis literis Apoſtolicis, & alii ſupra inſertis, & ad illas, & contenta in eis obſervandum, & obſervari faciendum, & mandandum juxta illarum formam, & tenorem, & in ſignum veræ, & realis intimationis, & notificationis hujuſmodi copiam unam earumdem literarum debitè ſubſcriptam, & ſigillatam dediſſe, tradidiſſe, & relaxaſſe Rev. D. Don Clementi de Cremona dicti Monaſterii negotiorum geſtori præſenti, & illam in ſuis manibus recipienti, ſuper quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, Ego idem Notarius pro parte antedicta requiſitus hoc publicum confeci Inſtrumentum, ibidem præſentibus teſtibus in præcedenti Inſtrumento nominatis, & jam ad hæc adhibitis, vocatis, ſpecialiter atque rogatis.

Conſequenter eiſdem anno, indictione, menſe, die, & Pontificatu, quibus ſupra, idem Bartholomæus de Curſis, currerius, & nuntius antedictus mihique prædicto, & infraſcripto Not. retulit, ſe hodie de mandato ut ſupra denunciaſſe, notificaſſe, & intimaſſe RR. DD. Priori, & Fratribus Monaſterii S. Auguſtini Cremonæ Ordinis Heremitarum, eaſdem præinſertas literas notificationis, & intimationis prædictarum binarum literarum Apoſtolicarum tenoris, & continentiæ, de quibus ſupra, eoſque ulterius de mandato ut ſupra benignè requiſiviſſe, & interpellaſſe ad parendum prædictis literis Apoſtolicis, & aliis ſupra inſertis, & ad illa, & contenta in eis obſervandum, & obſervari faciendum, & mandandum juxta illarum formam, & tenorem, & in ſignum veræ, & realis intimationis, & notificationis illarum copiam unam earundem literarum debitè ſubſcriptam, & ſigillatam dediſſe, tradidiſſe, & relaxaſſe R. D. Fratri Vito Portinario prædicti Monaſterii S. Auguſtini præſenti, & illam in ſuis manibus recipienti: ſuper quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, Ego idem prædictus, & infraſcriptus Notarius, pro parte antedicta requiſitus, hoc aliud publicum confeci inſtrumentum, ibidem præſentibus prædictis DD. Cæſare Mariano, & Hieronymo Minuto ambobus Notariis Cremon. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Deindè verò eiſdem anno, indictione, & Pontificatu, quibus ſupra, die verò Martis vigeſimo quarto ſupraſcripti menſis Novembris, præfatus Bartholomæus de Curſis currerius, & nuncius antedictus, mihique prædicto, & infraſcripto Notario retulit, ſe hodie de mandato ut ſupra denunciaſſe, notificaſſe, & intimaſſe Illuſtri, & Adm. Rev. D. Præpoſito, & M. RR. DD. Canonicis, & Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Agathæ dictæ Civitatis eaſdem Præinſertas literas notifi-

notificationis, & intimationis prædictarum binarum literarum Apostolicarum tenoris, & continentiæ, de quibus supra, eosque ulterius de mandato ut supra benignè monuisse, & interpellasse ad parendum prædictis literis Apost., & aliis supra insertis, & ad illa, & contenta in eis observandum, & observari faciendum, & mandandum juxtà illarum formam, & tenorem, & in signum veræ, & realis intimationis, & notificationis hujusmodi, copiam unam earundem literarum debitè subscriptam, & sigillatam dedisse, tradidisse, & relaxasse in Sacristia dictæ Colleg. Ecclesiæ S. Agathæ, in qua præf. M. RR. DD. Præpositus, & Canonici soliti sunt congregari, & congregantur pro negotiis præfati M. Rev. Capituli, præsentibus, prædictæ dimissioni, & relaxationi Admodum RR. DD. Francisco Fachetto, & Jo: Baptista Perotto ambobus Canonicis dictæ Ecclesiæ: super quibus omnibus, & singulis præmissis, Ego idem Notarius requisitus ut supra, hoc publicum confeci Instrumentum, ibidem præsentibus DD. Pio Baptistaneo filio D. Maximi, & Bartholomæo Ferrario f. q. Nicolai ambobus Notariis Cremonensibus, ambobus testibus ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis.

DECRETUM

De Celebratione in Oratoriis Privatis.

Uoniam Sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est; Propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum in Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino sub cap. unico sess. 22. inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodò in Ecclesiis, aut Oratoriis Divino tantùm Cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in Domibus, atque omninò extrà Ecclesiam peragi paterentur; Ac subindè Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpè sæpiùs per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quod nonnulli Episcopi, sub prætextu Privilegiorum, Cappellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu Privilegiorum, quæ ipsis a

Sancta Sede indulta noscuntur per hujusmodi Privilegiorum dilatationem, seù potius excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsâ Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimmò prohibita: Siquidem nonnulli Episcopi etiam in alienâ Diœcesi, & extrà Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibiquè per unum, aut plures ex suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seù aliarum Nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a S. Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas quàm in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentià Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in sanctarum sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Ministerio debitam, idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus aliàs hac de re editis, expresè declarat, Episcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra Domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in alienâ, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seù celebrari facere: ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seù Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seù Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; Atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat

queat post meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, Personas quascumque dictas Missas audientes nullatenùs Ecclesiæ præcepto satisfacere; Quo verò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seù Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. in his de Privil., & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentià in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse per idem Sacrum Concilium: Et propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur; ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perindè ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ità Sanctitas Sua declarat, & servari mandat. Romæ hac die xv. Decembr. 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

Jo: Dominicus Thomatus Episcop. Cyrenen. S. C. C. Sec.

Die 8. Mense Januarii 1704. supradictum Decrt. affixum, & publicatum fuit in Monte Citatorio Curiæ Innocentianæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vasellum SS. D. N. Papæ Curs. Pro D. Mag. Curs. Th. Orlandus Ap. Curs.

Literæ Sacræ Congregationis de Exercitiis Spiritualibus ab Ecclesiasticis peragendis.

Reverendiss. Dñe uti Frater.

INter gravissimas Pastoralis Officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assiduè premitur, in eam præcipuo studio incumbit, ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, præsertim verò Sacerdotes, & Animarum Rectores, tum sacrarum literarum, Divinarumque rerum scientia, tum etiam vitæ, morumque honestate, cæteris antecellant, ac in omnibus juxta monitum Apostoli, prebeant semetipsos exemplum bono-

rum operum in Doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiæ membra, dispensatores mysteriorum Dei, Christiani Populi duces, & magistri, mediatores inter Deum, & Homines, lucernæ super candelabrum positæ, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt; Nihil est, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita, & exemplum; Omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum, oculos coniiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur. Porrò cum diuturnà experientià compertum sit, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, & sanctimoniam, maximè conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent; quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commodè detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur; mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, rectè, sancteque vivendi norma, vel instituitur, vel confirmatur; Proinde Sanctitas Sua, pro eximio, quo flagrat omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum Exercitiorum Spiritualium opus, ubique locorum magnoperè frequentetur, ac vigeat, Universos Patriarcas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque tum Italiæ, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixè admonet, ac in Domino hortatur, ut illud, in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt conatu, & studio promovere satagant; Præcipue verò iis districtè injungit, ac præcipit, ut quæ dudum San. Mem. Innocentius XI. Pont. Max. per encyclicam Epistolam a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium consultationibus præposita ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopos datam die 9. Octobris 1682. quoad hujusmodi Spiritualia Exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio antequam ad Sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exactè, ac inviolabiliter observari, & exequi curent, & quos iisdem Exercitiis per antedicti temporis spatium minimè operam dedisse cognoverint, a Sacra Ordinatione repellant penitus, & arceant. Præterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui sane uberimus ex prædictis Spiritualibus Exercitiis percipitur, opportunè proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subjecto, sed præcipue Animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos diligenter excitent ad eadem Exercitia saltem semel in anno peragenda in Domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia Pia, seu Regulari Domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, & approbanda. Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus præfatis Animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Benefi-

ciatis,

ciatis, aliisque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies singulis annis, eadem Exercitia peregerint in Domibus præfatis, ibique die, noctuque permanserint, ac interea temporis verè pœnitentes, & Confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentià benignè absolvit; Quod ipsum servari præcipit quo ad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, & Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianos suorum respectivè Canonicatuum, & Beneficiorum distributiones quascumque, perinde ac si Choro, Divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem Exercitia peragant, obtentà prius ab Ordinario licentià, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur, & quo ad Parochos idoneis prius subrogatis Æconomis, ab ipsomet Ordinario approbandis, qui Animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hæ literæ publicentur in ista Diœcesi, & in Cancellariæ regestis pro perenni eorum, quæ in illis continentur, observantià describantur, & ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Amp. Tuæ vigili providentià, ac pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sactissimus Pater, ut a Sanctitate Sua laudem, a Cęlesti vero bonorum operum retributore condigna præmia valeat promereri; & Ampl. Tuæ copiosa Divinorum Charismatum incrementa ex animo precamur.

Ampl. Tuæ

Dat. Romæ die 1. Februarii 1710.

Uti Frater B. Card Panciaticus Præf.

V. Petra S. C. Secret.

A tergo Rev. Dño uti Fratri Episcopo Cremonen.

Literæ Sacræ Congregationis de Residentia.

Ab extra. Al Reverendiss. come Fratello. Il Vescovo di Cremona, & Sigillat. *Intus vero*

Reverendiss. Dñe uti Frater.

PAstoralis Officii debito salubriter exequendo assiduè intentus Sanctissimus Dominus Noster in eam præ cæteris singulari studio incumbit sollicitudinem, ut omnes Metropolitanarum Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Dignitates, Canonici, Beneficiati, Portionarii, aliique earum obsequiis mancipati, præcipuè verò Ecclesiarum Parochialium Rectores, & quicumque alii Animarum curæ præpositi, juxta Sacrorum Canonum, & Sacri Tridentini Concilii Decreta, atque Apostolicarum Constitutionum præscriptum, personalis residentiæ munus, quo obstricti sunt, agnoscant, illudque bona fide, & qua par est, sedulitate, ac diligentià præstent. Cum autem Sanctitati Suæ, non absque gravi animi sui mærore dudum innotuerit, nonnullos præfatarum Ecclesiarum servitio, vel Animarum regimini addictos, proprii oblitos officii, huc illuc per menses, & annos divagari, sine ullà suorum Prælatorum licentià, vel etiam cum eà, sed ultra tempus permissum, ac præter causas legitimas ab eisdem Sacris Canonibus, & Sacro Tridentino Concilio approbatas, & absque Apostolicis Indultis, quæ ab hac Sacrà Congregatione Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum justam discedendi causam habentibus concedi solent. Unde non raró fit, ut Divina Officia, & Ecclesiastica munia, quæ ab integro Ministrorum numero expleri debent, maximè negligantur, & Animarum cura proprio Pastore destituta gravissimum patiatur detrimentum, nec sit, qui Parvulis petentibus Evangelicum panem frangat. Volens propterea Sanctitas Sua pro eximio, quo pollet zelo, maximum hunc abusum e medio tollere, simulque opportunè prospicere, ut singuli Ecclesiarum Ministri deinceps iis debita fideliter exhibeant obsequia, & Parochialium in primis Ecclesiarum Rectores pascendis ovibus sibi commissis assiduè, ac diligenter vacent: sicuti eà de re saluberima in Urbe mandata nuper edidit prò iis, qui alibi residere obstricti, inibi commorantur; Ità etiam jubet, ac præcipit universis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac cæteris locorum Ordinariis quibuscumque, ut propriam quisque Pastoralem sollicitudinem excitantes, prælaudata Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini Decreta adversus prædictarum Ecclesiarum Canoni-

cos

eos, omnesque, & singulos Beneficiatos de jure, vel consuetudine residere obligatos, necnon adversus Parochos, & quoscunque alios Animarum curam exercentes, respectivè edita seriò observent, ac observari faciant, eos opportunis remediis ad personalem residentiam compellendo, ut onera unicuique eorum pro Divino cultu, & Ecclesiarum, animarumque servitio incumbentia sustinere commodè possint. Porrò in hunc ipsum finem eosdem locorum Ordinarios hortatur, ac admonet, ut hujusmodi Parochos, Canonicos, aliosque Beneficiatos, ut supra, detrectantes, pęnis a Sacris Canonibus, & Sacro Concilio Tridentino statutis, subtractionis scilicet fructuum, & crescente contumatià, privationis etiam Canonicatuum, ac Beneficiorum quibus potiuntur, mulctare, & coercere non omittant, ac in eos ulterius procedant juxta formam Decretalis Innocentii III. relatæ in *Cap. ex tuæ de Cleric. non residen.* implorato etiam ad id ubi opus fuerit monilio, & ope Ordinariorum, in quorum Dięcesibus prædicti refractarii commorantur. Ut autem hæc omnia suum exactiùs sortiantur effectum, Sanctitas Sua eisdem Locorum Ordinariis injungit, ut quos ex Parochis, Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis ejusmodi in præsens, vel etiam imposterum quandocunque a proprià residentià abesse compererint ultra tempus præmissum, & absque debitis Apostolicis Indultis eorumdem contumatium nomina, & Beneficia residentialia, quæ obtinent, ac insuper Dięceses, & Loca, in quibus ipsi moram trahunt, huic Sacræ Congregationi per suas Literas incunctanter denuntient, & quo ad contumaces in Urbe degentes, id ipsum tam eidem Sacræ Congregationi, quàm Eminentissimo ejusdem Urbis Vicario significent. Mandat denique Sanctitas Sua, ut præsentes Literæ, ne ullo umquam temporis decursu obsolescant, aut in desuetudinem abeant, in istius Cancellariæ regestis describantur.

Cumque in his exequendis provida in primis Sacrorum Antistitum solertia versari debeat, confidit Sanctissimus Pater præmissa omnia ab Amplitudinis Tuæ pervigili zelo, enixoque studio ita præstanda fore, ut, nedum Pastoralis Officii sui debito cumulatè satisfaciat, verum etiam nihil desuper Senctitati Suæ desiderandum relinquat. Et Amplitudini Tuæ a summo bonorum omnium Largitore fausta omnia precamur.

Dat. Romæ die 15. Martii 1710.

Ampl. Tuæ.

Signat. uti Frater B. Card. Panciat. Præf.

In calce subscrip. V. Petra Secretarius.

Illu., e M. Rev. Monsig. come Fratello.

LA Santità di Nostro Signore alle di cui orecchie è giunta la notizia, che in cotesta Città, non ostanti gli Ordini altre volte dati da' suoi Predecessori, ed in ispecie sotto li 30. Giugno 1679. al Vescovo di quel tempo, i Religiosi, dimenticati del proprio stato, vivano con poca disciplina, ed in specie, che vadano per le pubbliche strade della Città soli, anche con vesti, e mantelli corti, o alzati fino al ginocchio, e senza cappello, e che quasi tutto il giorno se ne stiano nelle Botteghe, e Case contigue de' Secolari con mala edificazione, e molto scandalo, e s'intromettano in oltre negli affari pubblici, e particolari de' Secolari medesimi, con mantenere anche fra questi delle disunioni, e scissure; Mi ha Sua Beatitudine comandato di scrivere a V. S. d'invigilare, che per l'avvenire i suddetti, ed altri somiglianti disordini più non seguano; dandole facoltà di poter carcerare i Contraventori, e di far' anche Precetti penali a' Superiori Regolari, acciocchè non permettano simili licenze a' loro Sudditi. Tanto eseguirà in conformità della mente della Santità Sua, che con questa se le comunica: E Dio la prosperi. Roma 2. Marzo 1719.

Di V. S.

Come Fratello G. B. Card. Paracciani.

V. Arciv. di Damasco Seg.

De

De modo habendi Concursus ad Ecclesias Parochiales vacantes.

Reverendiss. Dñe uti Frater.

QUó Parochiales Ecclesiæ dignioribus Personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 24. *cap.* 18., ut, vacante Ecclesia Parochiali, indiceretur, & fieret Concursus; ac, postquam Concurrentes ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus saltem tribus, examinati, & approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam necessariis, & opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii Sanctionem validiùs confirmandum, re, & nomine Sanctissimus Pontifex Pius Quintus, quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset; possent ii, qui rejecti essent, a malà ejusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metroplitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ Delegatum, vel aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; eà tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in ejus Constitutione, quæ trigesima tertia est, latius cavetur: concludendo, quod, constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bullà Examinis in Concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta Examinum, aliorum alibi, diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus Quæstiones, non iidem Casus propositi fuissent; erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur: sibi quidem postpositis difficiliores, præelecto autem faciliores ad solvendum Quæstiones obtigisse. Alibi verò eædem quidem omnibus Quæstiones propositæ fuerunt; sed neque hæ, neque datæ a Concurrentibus Responsiones scripto, seù literis consignabantur. Cumque postmodum, nec raró, contingeret, ut è post positis quispiam, jure Bullæ supradictæ, novum ad Examen coram Judice Appellationis, ejusque Examinatoribus electum provocaret: Sacra Congregatio usque ab anno 1603. considerans gravamen non alià ratione, quàm novo

exa-

examine probari posse; provocationem ad novum Examen censuit admittendam, gravamine needum probato, & requisitis tantummodò probationibus in subsequenti judicio, in quo, probato per novum examen Appellantis gravamine quoad Doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitis præstantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit, cum non continuò, si quis est doctior, is etiam aptior, seù magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis demùm in Diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus Quæstiones, iidemque Casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet Concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque responderint, suà manu perscribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longè optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda necnè statim Electi novum ad Examen provocatio, nullà gravaminis prærequisità probatione, videretur; cum isti ex Actis primi Examinis gravamen Doctrinæ facilè alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati probare, nisi secundo, seù novo Examine non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in administrandis diu Ecclesiis laude præstantes: qui monerent, frænum aliquod hujusmodi Appellantium licentiæ tandem iniiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas: quippe quæ vix unquam sine magno Ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum Examen coram Judice Appellationis longè procul a Parochià peragendum sit; Electus ab Episcopo, qui provocatur, Parochiam, quam possidet, cogitur intereà temporis deserere, eamque Æconomo, vel Vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis Custodibus, relinquere, Sponso non parumper, sed diù sanè absuturo: dum nempè, implicità, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, Examina super præstantia primum Doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiosè multiplicentur, & commodè, ne dicam otiosè, transigantur: antequam deliberari possit, utri Concurrentium Parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in geminà Sessione primà Octobris, & 16. Novembris 1720. summo studio recognovit; tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod præsentes literas encyclicas

exequi-

exequitur) omnes, & singulos Episcopos, aliosque Prælatos, penes quos sit jus, & auctoritas faciendi Concursum, hortari, ut Examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam, & multæ Diœceses, & Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat; sive cum, sede vacante, vacat Ecclesia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive, cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur juxta Decretum: sive demum, cum vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Ecclesiis Dignitate aliquà majori, annexam habente curam animarum, faciendus est Concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in literis, quæ de ordine Sanctissimi tunc è Datarià prodeunt, clarè præscribitur.

Vacante itaque Ecclesià Parochiali, quæ conferenda sit per Concursum, atque hoc solitis formulis indicto; hæc, quæ sequuntur, ex Sacræ Congregationis sententià, consilio, suasione, servanda proponuntur.

Primum nempè, ut assignentur eædem omnibus Concurrentibus Quæstiones, iidem Casus, idemque Textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut Casus, & Quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore: atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod Casus resolvant, Quæstionibus respondeant, Conciunculam componant.

Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quamdiù scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quisquam eó ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, & exhibuerint.

Quintum, ut omnes sua quisque manu tùm Responsa, tùm Sermonem scribant, subscribantque.

Sextum, ut Responsa quidem latinè, Sermo autem eà, quà ad populum haberi solet, linguà scribatur.

Postremum, ut unumquodque Responsum, & unusquisque Sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solùm ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario Concursus, verùm etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundùm hanc formulam Concursu, collatàque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicàtus fuerit, Ecclesià Parochiali: non admittatur Appellatio, aut a malà Relatione Examinatorum, aut ab irrationabili Judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die Collationis interponatur.

Si

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, Actaque Concursus petat ad Judicem Appellationis transferenda; mittantur vel Acta ipsa originalia Concursus clausa, & obsignata; vel certè unum aliquod authenticum eorum Exemplum, a Cancellario Concursus, atque altero Notario collatum, & ausculatum coram Vicario, vel alio in Ecclesiastica Dignitate constituto, quem eligat Ordinarius: ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit, necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursui interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus Actis, vel authentico eorum Exemplo nisi gravamen quoad Doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut a malà Relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit: novum ad Examen provocandi facultatem a Sac. Congregatione frustrà postulabit.

Quemadmodum, & in judicio Appellationis persequi jus suum frustrà tentabit is, qui fortè se gravatum doleat quoad reliqua; nisi, interpositià maturè, ut dictum est, Appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex Actis primi Concursus; vel saltem ex Atteſtationibus, & Documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, & Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, Concurrentium Examina instituere perrexerit: perget & Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, Provocationem ad novum Examen, nullà gravaminis prævia probatione indulgere. Interim tamen, ne harum literarum memoria dilabatur; vult eadem Sacra Congregatio eas in uniuscujusque Ordinarii Cancellarià perpetuò conservari. Cujus interea consilium, tùm voluntatem dum ego omnibus significo, Amplitudini Tuæ fausta omnia è Cœlo precor. Romæ hac die 8. Februarii 1721.

Ampl. Tuæ.

G. B. Card. Paracciani.

V. Arciv. di Damasco Seg.

Tra-

Transumptum Decreti a Sacr. Congregatione Concilii emanati ad preces nonnullorum Beneficiatorum in Ecclesiis Oppidi Casalis Majoris Cremonensis Diœcesis, quo Concessa fuit facultas Episcopo Cremonensi reducendi Onera, nedum Beneficiorum expressorum in precibus præmissis, verùm etiam aliorum Beneficiorum Diœcesis juxta Instructionem adjunctam.

Ie xxi. Novembris MDCCXXII. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum attentà relatione Episcopi Cremonensis benignè commisit eidem ut veris existentibus narratis, & vocatis, si qui fuerint vocandi, nedum Onera Missarum Beneficiorum superiùs expressorum, verùm etiam aliorum Beneficiorum Diœcesis, quæ taxativé concepta sunt, juxa Instructionem adjunctam pro intranti quantitate reddituum ad rationem eleemosynæ unius Julii diebus ferialibus, & unius Julii cum tertia parte alterius Julii diebus Festis de præcepto pro qualibet Missâ lecta, ac trium Juliorum pro qualibet Missâ Cantatà in actu Visitationis pro suo arbitrio, & conscientià gratis moderetur, atque reducat; Ita tamen ut si quando augeantur redditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse Missarum, quod in actu Visitationis inspicere, curæ esse debebit Ordinario pro tempore.

Signat. C.Card. Origus Præf.

In Calce P. de Lambertinis Secret.

Et Sigillat.

Tenor Instructionis de qua fit mentio in Decreto superius registrato.

Reverendiss. Dñe uti Frater.

QUidquid ab hac Sac. Cong. Concilii dispositum fuerit circa reductionem Onerum Missarum lectarum, & cantatarum, Beneficiis istius Diœcesis annexorum, ex introcluso ejusdem Sac. Congregat. Decreto Ampl. Tua percipiet. Quomodo autem se gerere debeat

debeat in ejusdem Decreti executione quoad onera, quæ taxativè, vel demonstrativè ex Piorum Fundatorum dispositione concepta esse poterunt, censuerunt Eminentiss. PP. Ampl. Tuæ notificandum esse, quod maturè pensatis dispositionibus, & Fundationibus Beneficiorum, illæ fundationes erunt demonstrativè conceptæ, si Fundatores legando, sive aliquo modo disponendo orationem, seu dispositionem priùs inchoaverint ab impositione Oneris Missarum, & deinde pro implemento ejusdem Oneris adjecerint assignationem fundi, vel certam pecuniæ quantitatem legaverint, & hoc casu duxerunt per Ampl. Tuam cogendos esse Hæredes Fundatorum, ad perpetuam dicti Oneris manutentionem, & ad supplendum summam deficientem tam pro præterito, quam pro futuro tempore; In casu verò quod factis judicialibus, & possibilibus diligentiis etiàm per Edictum sub poenà Censurarum, quoad Legata demonstrativè concepta, vel Hæredes cogendi, vel Testatorum bona non reperiantur, super quibus tamen Ampl. Tuæ, tum Rectorum Beneficiorum conscientia strictè onerata remaneat, tunc posse itidem Ampl. Tuam onera ipsa juxtà proportionatam cujuslibet Beneficii redditum quantitatem ad rationem eleemosynæ in eodem Decreto præscriptæ reducere. Quidquid secùs foret, si dispositio Testatorum esset taxativè concepta, nimirum si Legatum, seú Fundatio inciperet ab assignatione Fundi, seù a destinatione Pecuniarum, & non ab oneris impositione, tunc enim eadem Onera posse Ampl. Tuam ut supra moderari. Hæc Ampl. Tuæ innotescere volumus, ut Sac. Congregat. sententiæ se conformet, diuque valebit in Domino. Romæ 21. Novembris 1722.

Ampl. Tuæ.

Uti Frater C. Card. Origus Præf.

In Calce P. de Lambertinis Sec.

Ab extra Rev. Dño uti Fratri Episc. Cremonen.

Et Sigillat. &c.

Originale Decreti Sacr. Congr., & Instructionis, de quibus supra reperitur in Actis Cancellariæ Curiæ Episc. Cremonæ, & in Fil. Decret., & Literarum anni 1722.

De

De Custodia Santissimi Sacramenti.

Illustre, e Mol. Rev. Monsig. come Fratello.

LI furti empj, e sacrileghi delle sacre Pissidi, ed Ostensorj, o co le sacrosante Particole, o Ostie consecrate, o senza di esse, i quali in alcuni luoghi sono successi, anche per la facilità, e comodo, che alle volte a i Rei somministra la somma, e colposa incuria di quelli, a' quali è commessa la custodia della Santissima Eucaristìa, e de' sacri Vasi, in cui si conserva, anno mosso l'Appostolico Zelo della Santità di Nostro Signore Papa Innocenzo XIII. a comandare, che per mezzo della Sacra Congregazione de' Vescovi, e Regolari si scriva la presente Lettera circolare a tutti gli Ordinarj de' Luoghi, come altresì si faccia ordine espresso a' Superiori Generali de' Regolari per l'osservanza delle infrascritte determinazioni; acciocchè, dove è successo un tanto misfatto, si prendano le dovute precauzioni per l'avvenire, e quei Luoghi, ne' quali, per la Dio grazia, non v'è accaduto, si preservino da tali sacrileghi delitti. Dovrà pertanto V. S. in esecuzione degli Ordini Pontificj con suo Editto, o Notificazione, da affiggersi nelle Sagrestìe, colle forme, ed espressioni più efficaci raccomandare, ed ordinare a' Parrochi, Rettori, Sagrestani, o ad altri, a' quali respettivamente spetta la diligente custodia de' Sacri Tabernacoli co la ritenzione delle chiavi appresso di sè, o in luogo sicuro, sotto altra chiave ben custodite; talmente che, se in avvenire succederanno simili furti senza violente frattura de' Sacri Tabernacoli, per incuria, e negligenza de' Parrochi, Rettori, Sagrestani, o d'altri, come sopra, ed in ispecie, se avessero lasciati li Tabernacoli aperti, o colle chiavi nell'usciolo di essi, o in Sagrestìa, o altro luogo, ove comodamente siano state prese da' detti sacrileghi Delinquenti, si procederà contro i Parrochi, o Rettori, o Sagrestani, o contro qualsivoglia altro, a cui rispettivamente spetti la custodia, anche in esecuzione del *Cap. Unico, de Custodia Eucharistiæ* irremissibilmente, e senz'altro Processo alla pena della carcere, o ad altre ancora ad arbitrio secondo la qualità della negligenza, e colpa, colla privazione perpetua dell'uffizio di Sagrestani, e per li Regolari, anche della voce attiva, e passiva; Se poi si lasciasse per negligenza, ed incuria non bene custodita la Santissima Eucaristìa, ancorchè furto, e sacrilegio alcuno non seguisse, resteranno nondimeno i Rettori, o Parrochi, o Sagrestani, o altri, a' quali spetta la custodia come sopra, sottoposti alla pena della sospensione dell' uffizio per trè mesi,

come

come si prescrive nel *d. Cap. Unico de Custod. Euchar.* In oltre dovrà V. S. dichiarare in detto Editto, e Notificazione, che alle pene prescritte saranno soggetti li Parrochi, o Rettori, o Sagrestani delle Chiese, o chiunque siasi Custode della Santissima Eucaristìa, ancorchè da altro Sacerdote (contro il quale anche si dovrà procedere alle medesime pene) si lasciassero i santi Tabernacoli aperti, o le chiavi di essi in luogo non sicuro, appartenendo agli stessi Parrochi, Sagrestani, o ad altri Custodi la diligente custodia della Santissima Eucaristìa, e de' santi Vasi, ed essi devono nel fine de' Divini Uffizj invigilare, che restino sotto la sicura, e dovuta custodia. E colla presente questa Sacra Congregazione comunica a lei le facoltà necessarie, ed opportune, acciocchè possa procedere per le dette cause contro i Regolari alle pene, come sopra, prescritte, cumulativamente però co li Superiori Regolari, a' quali anche si dà la medesima incombenza contro i loro Sudditi Regolari, con dar poi Ella l'avviso di tal processura seguita contro essi Sagrestani, o altri come sopra a questa Sacra Congregazione. Così eseguirà: e Dio la prosperi. Roma 8. Gennajo 1724.

Di V. S.

Come Fratello Il Card. Paluccj.

V. Arciv. di Damasco Seg.

De Libello Eminentissimi D. Cardinalis Bellarmini adhibendo, in docendo, discendoque Christianam Doctrinam.

Illustre, e Mol. Rev. Monsig. come Fratello.

LA Santa Memoria di Clemente Ottavo avendo col suo Appostolico Zelo ben considerato, e riconosciuto, che la moltiplicità de' Libretti intitolati: *Dottrina Cristiana*, siccome da varj Autori composti, così diversificando in qualche parte, potevano produrre tanto nel modo di significare, ed instruire, quanto in quello d'apprendere, difficoltà, e variazioni, comandò per impedire un tanto disordine, che dalla ch. mem. del Cardinale Bellarmino, se ne formasse uno, il quale esaminato prima, ed appro-

approvato dalla Congregazione della Riforma, dovesse poi stamparsi, come fu eseguito, con prescrivere in tal guisa un'istesso metodo d'insegnare, ed apprendere la Dottrina Cristiana.

Piacque pertanto al medesimo Pontefice pubblicare espressamente sopra di ciò sue lettere Appostoliche spedite sotto li 15. Luglio 1598. in Ferrara, di cui se le trasmette l'annessa stampa, nella quale oltre varj provvedimenti (come vedrà) che sono in piena osservanza, tanto per questa Città, e suo Distretto, che per lo Stato Ecclesiastico, esorta tutti, e singoli Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, Abati, Parrochi, ed altri, a' quali spetta esistenti in qualsivoglia Dominio, acciocchè per quanto loro sia possibile, procurino, che nell'insegnare la Dottrina Cristiana nelle Chiese, Diocesi, e Parrochie rispettivamente, si riceva, e si adoperi il suddetto Libretto, poco prima di suo ordine composto, approvato, e pubblicato.

Presentendosi nondimeno, che possa essersi introdotto l'uso d'altri Libretti, o stampati in cotesta Città, e Diocesi, o in altra parte, e forsanche diversi da quello del Bellarmino, ha dato motivo di scriversi anche a V. S. acciocchè uniformandosi al sentimento del prefato Pontefice, ed a quello de' suoi Successori, e specialmente alla provvida intenzione della Santità di Nostro Signore felicemente regnante, voglia specialmente in questa parte praticare tutta la possibile diligenza sopra li Parrochi, e Maestri a tale effetto deputati, al di cui più sicuro conseguimento gioverà molto se potrà procurare con piacevolezza, ed estrajudicialmente, che gli Stampatori, e Librari non istampino, o ritenghino Dottrine Cristiane d'altri Autori.

Trattandosi perciò d'una materia così importante, come è quella dell'insegnamento della nostra Santa Fede, non si dubita, che il suo Pastorale zelo non sia per darvi opportunamente tutta la mano: E Dio la prosperi. Roma 18. Febbrajo 1724.

Di V. S.

Come Fratello Il Card. Paoluccj.

F. Arciv. di Damasco Seg.

CLEMENS
PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis sollicitudo in eam præcipuè curam incumbere debet, ut Christifideles pueri Catholicam Doctrinam facilè edoceantur; ut in illis uno, eodemque tempore pietas, ac divinorum observantia Præceptorum in dies crescat. Cum itaque (sicùt accepimus) plures Doctrinæ Christianæ Libelli a variis Personis compositi diversum Ordinem, verborumque seriem continentes hactenùs emanarint, ità ut in docendo, & discendo, non modica sit orta difficultas, atque varietas. Nos huic malo occurrere cupientes, novum ejusdem Doctrinæ Christianæ libellum per Dilectum Filium Rubertum Bellarminum Presbyterum Societatis Jesu de mandato nostro conscriptum, ac in duas partes divisum a dilectis Filiis Reformatoribus in Congregatione Reformationis Nostræ deputatis diligenter examinari mandavimus. Cumque Libellum hujusmodi jam omninò absolutum, & a prædicta Congregatione comprobatum in lucem, edi, & typis tradi mandaverimus, ut post hac unus, idemque modus in docendo, & discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneatur. Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris dilectis Filiis Confratribus Confraternitatis Doctrinæ Christianæ de Urbe, qui (ut etiam accepimus) multis ab hinc annis in ipsa Urbe, & extrà in diversis locis Doctrinam hujusmodi docere consueverunt, prædictum novum Doctrinæ Christianæ Libellum, ut præfertur, examinatum, & approbatum authoritate nostra imprimi facere, quodque nemo unquam, tàm in Alma Urbe, quàm in toto Satu Nostro Ecclesiastico Libellum hujusmodi sine expressa ipsorum Confratrum, seù Officialium ejusdem Confraternitatis licentia imprimere possit, ad decennium proximum authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea universis, & singulis Christifidelibus præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis in ditione Nostra Ecclesiastica consistentibus, sub indignationis Nostræ, & ammissionis librorum, necnon quingentorum ducatorum auri de Camera, pro una Cameræ Apostolicæ, pro alia denunciatori, seù accusatori, & pro reliqua tertiis partibus Cameræ prædictæ applican., eo ipso incurrenda pœna; nec Libellum Doctrinæ Chri-

